MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80298-27

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

MARTINI, EDGAR

TITLE:

QUAESTIONES POSIDONIANAE ...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1895

Master Negative #

91-B029B-27

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



88P84
DM

Martini, Edgar, 1871-1932.
Quaestiones Posidonianae.Dissertatio inauguralis quam...scripsit Edgarus Martini...Lipsiae, typis I.B.Hirschfeldi, 1895.
p. [341]-404 22½ cm.

Thesis, Leipzig.
Leipziger studien zur classischen philologie, v. 17, p. 341-404.

192098

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-31-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202



Centimeter

Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

38P84
DM

88P84 DM

Columbia College
in the City of New York

Library.

8166

QUAESTIONES POSIDONIANAE

COLUMBIA COLLEGE LIBRARY N.Y.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

EDGARUS MARTINI

LUSATICUS

LIPSIAE

TYPIS I. B. HIRSCHFELDI

MDCCCXCV

VIRO DOCTISSIMO

CURTIO WACHSMUTHIO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

PIETATIS ET OBSERVANTIAE CAUSA

HUNC LIBELLUM INSCRIPSIT

E. M.

198995

QUAESTIONES POSIDONIANAE

SCRIPSIT

EDGARUS MARTINI

Leipziger Studien. XVII. 23

LIBRARY

CAPUT I.

De vario usu vocabulorum ΜΕΤΕΩΡΑ et ΜΕΤΑΡΣΙΑ observationes.

Fuisse qui ‘Meteorologicon’ librum I ab Aristotele abiudicarent auctor est Olympiodorus in comm. ad Arist. ‘Meteorol.’ l. I 1 (p. 131 sqq. vol. I Idel.). Quorum dubitationes non satis graves plurimas illas sollerter nec non apte diluit ipse Olympiodorus ita ut nihil esse videatur cur istum librum pro spurio habeamus.[1]) At vehementer ego equidem metuo ne praefatiuncula toti operi praemissa alienae prosapiae sit. Exscribam autem eam, cum tota nostra de voce meteoron disquisitio ea quasi fundamento nitatur. Cf. p. 3 vol. I ed. Idel. p. 338a ed. Acad. Berol.: *περὶ μὲν οὖν τῶν πρώτων αἰτιῶν τῆς φύσεως καὶ περὶ πάσης κινήσεως φυσικῆς, ἔτι δὲ περὶ τῶν κατὰ τὴν ἄνω φορὰν διακεκοσμημένων ἄστρων καὶ περὶ τῶν στοιχείων τῶν σωματικῶν, πόσα τε καὶ ποῖα, καὶ τῆς εἰς ἄλληλα μεταβολῆς, καὶ περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς τῆς κοινῆς εἴρηται πρότερον.* (2) *Λοιπὸν δ᾽ ἐστὶ μέρος τῆς μεθόδου ταύτης ἔτι θεωρητέον, ὃ πάντες οἱ πρότερον μετεωρολογίαν ἐκάλουν· ταῦτα δ᾽ ἐστὶν ὅσα συμβαίνει κατὰ φύσιν μέν, ἀτακτοτέραν μέντοι τῆς τοῦ πρώτου στοιχείου τῶν σωμάτων, περὶ τὸν γειτνιῶντα μάλιστα τόπον τῇ φορᾷ τῶν ἄστρων, οἷον περί τε γάλακτος καὶ κομητῶν καὶ τῶν ἐκπυρουμένων καὶ κινουμένων φασμάτων, ὅσα τε θείημεν ἂν ἀέρος εἶναι κοινὰ πάθη καὶ ὕδατος, ἔτι δὲ γῆς ὅσα εἴδη καὶ μέρη καὶ πάθη τῶν μερῶν, ἐξ ὧν περί τε πνευμάτων καὶ σεισμῶν θεωρήσαιμεν ἂν τὰς αἰτίας καὶ περὶ πάντων τῶν γινομένων κατὰ τὰς κινήσεις τὰς τούτων· ἐν οἷς*

1) Cf. et Zelleri ‘Histor. philos. Gr.’ II³ 2 p. 87 not. 2.

τὰ μὲν ἀποροῦμεν, τῶν δ' ἐφαπτόμεθά τινα τρόπον. Ἔτι δὲ περὶ κεραυνῶν πτώσεως καὶ τυφώνων καὶ πρηστήρων καὶ τῶν ἄλλων ὧν ἐγκυκλίων, ὅσα διὰ πτῆξιν συμβαίνει πάθη τῶν αὐτῶν σωμάτων τούτων. (3) Διελθόντες δὲ περὶ τούτων θεωρήσωμεν, εἴ τι δυνάμεθα κατὰ τὸν ὑφηγημένον μέθοδον ἀποδοῦναι περὶ ζῴων καὶ φυτῶν, καθόλου τε καὶ χωρίς, σχεδὸν γὰρ τούτων ῥηθέντων τέλος ἂν εἴη γεγονὸς τῆς ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν προαιρέσεως πάσης· ὧδ' οὖν ἀρξάμενοi λέγωμεν περὶ τούτων πρῶτον. Hanc praefationem quo minus Aristotelis calamo elapsam esse arbitrer duobus maxime retineor causis. Primum minime Aristotelis consuetudo erat ut eius modi tabulas argumenti in fronte librorum suorum conlocaret nec ulla hercle potest dispici causa cur ‘Meteorologica’ a solita norma excepisse existimandus sit. Ceteroqui primum praefatiunculae enuntiatum dilucide ostendit unde illius origo repetenda sit. Nimirum revocanda est ad eos qui primi Aristotelis opera per certum quendam ordinem distribuerunt. Quorum vestigia cum in aliis philosophi Stagiritae libris deprehendere possis tum in ‘Meteorologicis.’ Luculentam admodum sagaciter indicavit nuper Berger ‘Gesch. der wiss. Erdk. der Gr.’ vol. I p. 54 not. 2 interpolationem alterius libri de meteoris (l. II 1, 14 sqq.). Omnino ‘Meteorologica’ male se habent longeque abesse videntur a pristina sinceritate. Cf. Zeller l. l. p. 87 not. 2 et Susemihl in ‘Mus. Rhen.’ vol. XL (1885) p. 574 not. 6.

Praeter indolem autem atque naturam praefationis maximae nobis offensioni sunt quae in ea de voce meteorologiae exponuntur. Quae adeo perversa sunt adeoque cum rerum veritate conflictantur ut ab Aristotele ea profecta esse credi vix possit. Nam falsissimum est quod dicitur ‘Meteorologicon’ libros in ea scientia explicanda versari quam omnes veteres *μετεωρολογίαν* nuncuparint, quoniam veteres tantum abest ut meteoron voce una sublimia designarint, uti facit Aristoteles, ut eam aut de rebus sublimibus caelistibusque universe aut de caelestibus solis usurpaverint.[1]) dixi meteoron vocem: quippe me-

1) Utor hic utarque in sequentibus Senecae terminis q. v. technicis. Cf. ‘Nat .Quaest.’ l. II. 1. 1 proxx.

teorologiae vocabulum de iis qui ante Aristotelem floruere ab uno Diogene Apolloniata, quode infra adcuratius videro, absque inrisione adhibitum scimus. Neque vero certo cognosci potest quo significatu hic illo vocabulo usus sit. Verum enim vero adparet quicumque meteorologiam doctrinam de rebus sublimibus interpretantur, meteora sublimia esse statuant necesse esse; quicumque vicissim meteora intellegunt caelestia seu caelestia et sublimia, iis esse meteorologiam doctrinam de rebus caelestibus seu de caelestibus et sublimibus. Sic Aristoteles vel potius qui libellum ‘De plantis’ confecit res in ‘Meteorologicis’ tractatas diserte adpellat meteora. Cf. ‘De plantis’ l. II p. 822 b, 32 sqq. ed. ac.: *ἐκτεθείκαμεν δὲ αἰτίας περὶ τῆς γενέσεως τῶν πηγῶν καὶ τῶν ποταμῶν ἐν τῷ ἡμετέρῳ βιβλίῳ τῷ περὶ μετεώρων* (cf. Agath. in ‘Anthol. Pal.’ l. XI 354, 7 sq.). Sed ne temere iecisse videar quod de veterum usu vocis meteoron adseveravi, rem paucis comprobandam mihi sentio. Percurramus si placet libros hominum Aristotele priorum excutiamusque locos ubi vocabula meteoron, meteorologon, cet. eiusd. rad. obviam fiunt. Plerumque quidem voce meteoron sublimia et caelestia comprehenduntur vel quod idem valet omnia quae supra terram fiunt atque in caelo conspiciuntur. Quae vis illi voci omnibus iis locis subest in quibus ei quae infra terram aut quae in terra sunt opponuntur. Veluti apud Hippocratem ‘De vetere medicina’ Cap. I, p. 2, 1 proxx. Kuehlew.: *διὸ οὐκ ἠξίουν αὐτὴν* (sc. *τὴν ἰατρικήν*) *ἔγωγε καινῆς ὑποθέσιος δεῖσθαι ὥσπερ τὰ ἀφανέα τε καὶ ἀπορεόμενα, περὶ ὧν ἀνάγκη, ἤν τις ἐπιχειρῇ τι λέγειν, ὑποθέσει χρῆσθαι, οἷον περὶ τῶν μετεώρων ἢ τῶν ὑπὸ γῆν* (malim *γῆς*); apud Platonem in ‘Apologia’ p. 18 B (de Socrate): *τάτε μετέωρα φροντιστὴς καὶ τὰ ὑπὸ γῆς ἅπαντα ἀνεζητηκώς*; ibid. p. 23 D: *τὰ μετέωρα καὶ τὰ ὑπὸ γῆς*. Terrestria autem meteoris opponuntur in Eupolidis fragm. 146 b. Kock (de Protagora):

ὃς ἀλαζονεύεται μὲν ἁλιτήριος
περὶ τῶν μετεώρων, τὰ δὲ χαμᾶθεν ἐσθίει.

Rarius meteoron voce denotantur corpora caelestia. Haec notio statuenda videtur apud Platonem in ‘Protag.’ p. 315 (de

Hippia): *ἐφαίνοντο δὲ περὶ φύσεώς τε καὶ τῶν μετεώρων ἀστρονομικὰ ἄττα διερωτᾶν.* Multo clarius illa notio apud Hippocratem adparet qui in egregia ‘De aere, aquis, locis’ scriptura cap. II p. 34, 14 sqq. Kuehlew. haec ait: *τοῦ δὲ χρόνου προιόντος καὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ λέγοι ἄν, ὁκόσα τε νοσήματα μέλλει πάγκοινα τὴν πόλιν κατασχήσειν ἢ θέρεος ἢ χειμῶνος, ὁκόσα τε ἴδια ἑκάστῳ κίνδυνος γίνεσθαι ἐκ μεταβολῆς τῆς διαίτης* (an ἄρης?). *Εἰδὼς γὰρ τῶν ὡρέων τὰς μεταβολὰς καὶ τῶν ἄστρων ⟨τὰς⟩ ἐπιτολάς τε καὶ δύσιας, καθότι ἕκαστον τούτων γίγνεται, προειδείη ἂν τὸ ἔτος ὁκοῖόν τι μέλλει γίγνεσθαι. — Εἰ δὲ δοκέοι τις ταῦτα μετεωρολόγα εἶναι, — μάθοι* [ἄν exstirpo] *ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικὴν ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον.* Nempe sensus extremae enuntiationis est hic: ‘quodsi quis haec [sc. anni temporum vices, ortus occasusque siderum] ad meteorologiam pertinere putet, comperiat seu discat non minimam partem ad rem medicam conferre astronomiam.’ Vides hoc loco ab Hippocrate meteorologiam plane parem poni siderum scrutationi eique huius munia iniungi. Similiter initio disputationis ‘De carnibus’ (vol. I p. 424 Kuehn.) — de qua consulendus Gomperz ‘Griech. Denker’ vol. I (1895) p. 236 et 454 — meteoron voce res caelestes adpellari puto.

Unus quod sciam eorum qui ante Aristotelem fuere Diogenes Apolloniates libellum scripsit cui titulus impositus erat ‘*Μετεωρολογία*’. Quo de testatur Simplicius in comm. ad Arist. ‘Phys.’ p. 151, 24 D.: *ἰστέον ὡς γέγραπται μὲν πλείονα τῷ Διογένει τούτῳ συγγράμματα, ὡς αὐτὸς ἐν τῷ ‘Περὶ φύσεως’ ἐμνήσθη καὶ πρὸς φυσιολόγους ἀντειρηκέναι λέγων, οὓς καλεῖ καὶ αὐτὸς σοφιστάς, καὶ ‘Μετεωρολογίαν’ γεγραφέναι, ἐν ᾗ καὶ λέγει περὶ τῆς ἀρχῆς εἰρηκέναι, καὶ μέντοι καὶ περὶ ἀνθρώπου φύσεως, ἐν δέ γε τῷ ‘Περὶ φύσεως’ ὃ τῶν αὐτοῦ μόνον εἰς ἐμὲ ἦλθε, προτίθεται μὲν διὰ πολλῶν δεῖξαι, ὅτι ἐν τῇ ὑπ᾽ αὐτοῦ τιθείσῃ ἀρχῇ ἐστι νόησις πολλή.*[1]) Argumentum

1) Iniuria Zeller in ‘Histor. phil. Graec.’ vol. I⁴ p. 236 not. 1 Schleiermacherum secutus de fide testimonii Simpliciani dubitat. Cf. Gomperz s. l. p. 301 et 459.

a Diogene in ‘Meteorologia’ pertrectatum etsi certius definiri nequit, tamen inde quod Diogenes de principio (*περὶ τῆς ἀρχῆς*) disquisivit, consequens esse videtur ut latius patuisse censeamus quam libri Aristotelici qui inscribitur ‘*Μετεωρολογικά*.’

Sed mox nomen meteorologiae in contemptionem abiit quippe quod Platonis aevo multo rarius proprio quam translato sensu usurparetur de studio rerum nimis subtilium aut prorsus inanium. Parum enim fructuosum aut utile Atheniensium multitudini visum est caelestia sublimiaque speculari, parum pium priscas de priscis dis fabulas astronomicis rationibus infensare aut adeo evertere. Quo factum est, ut qui illis studiis operam nauabant volgo male audirent atque utpote nebulones (*ἀλαζόνες*: sic Meton traducitur apud Aristoph. in ‘Au.’ u. 1016. Vide Ribbeck ‘Alazon’ p. 10 sqq.) aut nugantes homunculi sugillarentur. Exceptis paucis illis quos supra indicavi locis apud Platonem voces *μετεωρολογία* (Phaedr. p. 270 A [bis]), *μετεωρολογικός* (Tim. p. 91 D), *μετεωρολόγοι* (Pol. 299 B; Crat. p. 401 B), *μετεωροσκόπος* (Pol. p. 488 E; ib. p. 489 A) al. eiusd. rad. contemptim dictae sunt. Saepissime quo magis consilium deridendi vel insultandi adpareat, additum invenimus vocabulum *ἀδολεσχία* aut *ἀδολέσχης* (cf. Phaedr. p. 270 A in.; Pol. p. 488 E et 489 A; Pol. 299 B; Crat. 401 B). Quod autem Plato in ‘Pol.’ p. 489 C adhibet vocabulum *μετεωρολέσχης* comoediam sapit (cf. Aristoph. frg. 386 K.). Cum quo contendas verbum *μετεωροφέναξ* quod finxit Aristophanes in ‘Nub.’ u. 333. Omnino vox meteoron pessime sonat apud comicos Atticos et apud Lucianum qui ex ampullis comicorum libris suis colores adspergere consuevit (cf. ex. c. ‘Amor.’ 457 et ‘Men.’ 486). Etiam Euripides contemptim loquitur de meteorologis (cf. frg. 913, 2 N²). Neque vero opus est hanc notionem hic longius persequi. Ac ne postea ad eam reverti cogar, statim moneo per diuturnum tempus eam in litteris Graecis viguisse (cf. Plut. ‘Per.’ cap. V p. 154 C et Aristid. ‘Ars rhet.’ p. 343, 16 vol. IX Walz.).

Sed iam respiciamus. Expendimus omnes locos ubi quae vis vocabulo meteoron ceterisque quae ab hoc deducta sunt

verbis subsit diiudicare licet. Neque vero ullus est in quo meteora designent sublimia sola. Immo usque quaque meteora intelleguntur aut generaliter res quae supra terram fiunt aut paullo angustiore sensu caelestia. Re ita comparata plane incredibile est Aristotelem autumasse omnes veteres voce meteorologiae eam scientiam significasse quam ipse ‘Meteorologicis’ explanat quae videlicet ad sublimia spectant. Ex quo efficitur ut praefatiunculam alio quoque nomine suspectam ab Aristotele alienam esse ducamus. Quodsi ex subsidiis nostris licet sint exilia coniecturam facere fas est, princeps omnino Aristoteles sublimia adpellasse videtur *μετέωρα*.

Iam vero missis paulisper meteoris metarsia consideremus. Quae vox quinto ante Chr. nat. saec. ita adhibita est ut idem exprimeret atque vocabulum meteoron latiore sensu dictum. Etenim universe omnes supra terram res illo denotatas esse ostendit Sophoclis frg. 1027, 4 sqq. N²:

ἡ δὲ βοσκηθεῖσα φλὸξ
ἅπαντα τἀπίγεια καὶ μετάρσια
φλέξει μανεῖσα.

Idem vocabuli metarsion usus est in psephismate a Diopithe promulgato quod leviter stringit Plutarchus in vitae Periclis cap. XXXII p. 169 D: *καὶ ψήφισμα Διοπείθης ἔγραψεν Εἰσαγγέλλεσθαι τοὺς τὰ θεῖα μὴ νομίζοντας ἢ λόγους περὶ τῶν μεταρσίων διδάσκοντας ἀπερειδόμενος εἰς Περικλέα δι᾽ Ἀναξαγόρου τὴν ὑπόνοιαν.* Sponte patet hoc loco *μετάρσια* idem declarare atque *μετέωρα* quorum tractationem Atheniensium volgus philosophis exprobrare adsolebat. Atque vox metarsion quia reapse eodem sensu usurpabatur quo meteoron, eandem sortem passa est atque illa moxque in malam partem est accepta (cf. [Plat.] ‘Sis. 389 A; Plut. ‘Per.’ Cap. V p. 154 C; schol. Arist. ‘Nub.’ v. 320). Sed de hac notione hactenus.

Ut quae hucusque eruimus praecise complectar, qui ante Aristotelem fuere meteora intellegebant aut caelestia aut liberiore sensu quaecumque supra terram posita sunt (h. s. caelestia et sublimia): haec et metarsia nominabant. Aristoteles vero veterem vocabuli meteoron intellectum commutavit ita ut illud ad sublimia sola transferret.

Iam eos qui post Aristotelis tempora fuerunt videamus. Praecipue interest scire probatane his fuerit illius definitio meteoron an eam missam fecerint. Ni egregie fallor illam nemo posteriorum amplexus est nisi Aristotelis interpretes (velut Olympiodorus p. 133, vol. I ed. Id.; et Philoponus p. 135 eod. l.). Plurimi autem philosophi cum veteribus faciebant meteoraque universe caelestia et sublimia interpretabantur. Quo in numero est Epicurus. Qui epistolam Pythocli misit in cuius praefatiuncula se ei doctrinam de meteoris explicaturum recipit (cf. La. Diog. l. X 83 sqq. [Vseneri ‘Epicureorum’ p. 35 proxx.]). Iam cum res tractatas perlustramus, posteaquam paucula de mundo intermundiisque quasi in transcursu disputavit, Epicurum fuse et abunde de rebus caelestibus (vide Vsenerum l. l. p. 382 et 389) et sublimibus (cf. Vsener. l. l. p. 385) disserere videmus. Vide et La. Diog. l. X 142 (Vseneri ‘Epic.’ p. 73, 14 et 20). Porro veteres secutus est Arrhianus, philosophus ut puto peripateticus, cuius memoriam paucis recolere haud ab re existimo.[1]) De aetate eius inde luculentissime constat quod fuit Eratosthenem inter et Agatharchidem Cnidium. Nam ab hoc laudatur in libello ‘De mari rubro’ (cf. Muelleri ‘G. Gr. m.’ I p. 194, 15 sqq. = Phot. ‘Bybl.’ p. 460 b, 17 sqq. Bkk.); illum vicissim laudat (cf. Philoponi comm. in Arist. ‘Met.’ p. 138 vol. I Idel.). Eratosthenes autem vixit intra annos 276—194 (cf. Susemihli ‘Hist. litt. Alex.’ vol. I p. 409 sqq.); Agatharchidis vero tempora non tam certis finibus circumscribi possunt: hoc unum tamen certum est fuisse eum sub Ptolomaeis Philometore (181—146) et Euergeta II (146—117) (cf. Leopoldii diss. ‘De Agath. Cnid.’ [1892] p. 8). Arrhianus igitur circa annum 175 floruisse videtur. Vitam eum Alexandreae degisse facile quis inde coniciat quod quem memorat Eratosthenem et a quo memoratur Agatharchidem paene totam aetatem suam in illa urbe commoratos esse accepimus (de

1) Nil novi attulit Wissowa s. v. ‘Arrianus’ in ‘Pauly-Wissowa Realencycl.’ p. 1247.

Agath. cf. Leopoldium l. l. p. 8). Composuit autem Arrhianus inquisitionem ‘περὶ μετεώρων’ ad quam provocat Priscianus Lydus in auctorum laterculo ‘Solutionibus ad Chosroen’ praemisso p. 42, 11 Byw.: [usi sumus] ‘et *Μετεώρων* Arrhiani’ [1]); cuius primum librum citat Philoponus in comm. ad Aristot. ‘Meteor.’ l. i.: unde cogitur Arrhiani scripturam ex compluribus libris constitisse. Disputavit autem teste Philopono Arrhianus in libro I de terrae circuitu. Stupes quid illa quaestio in meteoron tractatione sibi velit. Res facillime explicari potest, modo Arrhianum de caelestium doctrina similiter atque Posidonium iudicasse censeamus. Hic enim apud Senecam (cf. ‘Nat. Qu.’ l. II. 1. 1 sqq.) [2]) postquam omnem de universo quaestionem in caelestia, sublimia, terrena dividendam, inter sublimia autem quaedam terrena tractanda esse pronuntiavit, haec ait (§§ 4/5): ‘dicam quod magis mirum videbitur: inter caelestia et de terra dicendum erit. Quare? inquis. Quia cum propria terrae ipsius excutimus suo loco, utrum lata sit et inaequalis et enormiter proiecta an tota in formam pilae spectet et in orbem partes suas cogat, adliget aquas an aquis adligetur, ipsa animal sit an corpus iners et sine sensu, plenum quidem spiritus, sed alieni, et cetera huius modi, quotiens in manus venerint, terram secuntur et in imis conlocabuntur: at ubi quaeretur quis terrae situs sit, qua parte mundi consederit, quo modo adversus sidera caelumque posita sit, haec quaestio cedet superioribus et, ut ita dicam, meliorem condicionem sequetur.’ Posidonii igitur arbitratu inter caelestia ea tractanda sunt quae ad rationem quae inter terram et sidera interest pertinent. Quo cum aliae faciunt quaestiones tum ea qua quaenam ratio inter terrae magnitudinem et astro-

1) Neque vero isto libro usus esse videtur Lydus. Namque quem hic p. 69, 31 Byw. exagitat Arrhianum, is auctor est ‘Circumnavigationis maris Erythraei’ atque post Posidonii tempora ipse quoque in Aegypto ut videtur aetatem degit. Cf. sis cum Lydi l. l. [Arch.] ‘Circumnav.’ Cap. XLV et XLVI (p. 291 sqq. Muelleri ‘Geogr. Gr. min.’ vol. I). Ceterum perquam memorabile est quod iam Lydi temporibus ista circumnavigatio maris Erythraei nomine Arrhiani circumferebatur.

2) Hunc locum ad Posidonium reverti infra comprobabo.

rum caelique sit pervestigatur.[1]) Hanc si Arrhiani quoque sententiam fuisse arbitremur, nulla causa est quam ob rem offendamus, quod in libro ‘περὶ μετεώρων’ de terrae ambitu dixit. Iam Agatharchidis testimonium contemplemur. Qui l. l. haec prodit: *ὅτι Ἀρριανὸς περὶ κομητῶν φύσεώς τε καὶ συστάσεως καὶ φασμάτων βιβλιδάριον γράψας, πολλοῖς ἀγωνίσμασι πειρᾶται δεικνύναι ὅτι μηδὲν μήτε τῶν ἀγαθῶν μήτε τῶν φαύλων τὰ τοιαῦτα φάσματα ἀποσημαίνουσιν.* Cum scriptura ‘περὶ μετεώρων’ ex compluribus libris constiterit, nil obstat ne *βιβλιδάριον περὶ κομητῶν φύσεώς τε καὶ συστάσεως καὶ φασμάτων* quippe quod meteorologici argumenti sit ad illam pertinuisse credamus. E quo praeterea magnum nobis frustum servavit Ioannes Stobaeus in ‘Ecl. phys.’ p. 229, 11 sqq. W. (frg. de cometis similibusque phasmatis). Quod vero nullo loco Arrhianum id agere videmus ut cometis ceterisque phasmatis nil portendi demonstret, id facillime ex eo explicatur quod non integram Arrhiani disputatiunculam tenemus, sed excerptum tantum, quod eius definitiones et generales sententias de natura illarum rerum exhibeat. Praeterea apud Stobaeum duae longiores eius disputationes exstant quarum prior (cf. p. 235, 10 sqq. W.) de fulminibus, tonitribus, sim. rebus est, posterior (cf. p. 246, 2 sqq. W.) de nebula, pluvia, al. sim. Adparet hasce disputationes non ex eo libro desumptas esse quem memorat Agatharchides, sed ex alio vel potius aliis scripturae ‘De meteoris’. Quod si haec quam ego concepi imago libelli Arrhianei vera est, statuendum est Arrhianum vocem meteoron vetere sensu quo caelestia et sublimia comprehenduntur usurpasse.

Denique cum veteribus facit Strabo. In cuius ‘Geographiae’ libro I p. 13 sqq. C. haec reperimus: *ἅπαντες ὅσοι τόπων ἰδιότητας λέγειν ἐπιχειροῦσιν, οἰκείως προσάπτονται καὶ τῶν οὐρανίων* [2]) *καὶ γεωμετρίας, σχήματα καὶ μεγέθη καὶ ἀποστή-*

1) Posidonius quidem in libris ‘περὶ μετεώρων’ magnitudinem terrae anquisivit hacque computatione fretus terram puncti instar esse ad caelum ostendit. Cf. Cleom. ‘Theor. Cycl.’ l. I c. XI p. 102 sqq. Z.

2) *Οὐράνια* ei sunt omnia quae in caelo observantur: caelestia (Senecae) et sublimia. Cf. Xen. ‘Mem.’ I 1, 11 et Sophocl. ‘Oed. R.’ u. 301.

ματα καὶ κλίματα δηλοῦντες καὶ θάλπη καὶ ψύχη καὶ ἁπλῶς τὴν τοῦ περιέχοντος (= ἀέρος) φύσιν. ——— Ἔοικεν οὖν μετεωρολογικῇ τινι πραγματείᾳ καὶ γεωμετρικῇ συνῆφθαι τὸ τῆς γεωγραφίας εἶδος, τὰ ἐπίγεια τοῖς οὐρανίοις συνάπτον εἰς ἕν. Geographia igitur cum geometria et meteorologia coniuncta est, sed ita ut illam ad definitionem formarum, magnitudinum, intervallorum adhibeat, hanc ad indicanda climata, frigora, calores, aeris naturam. Cum autem climata nisi astronomicis rationibus constitui nequeant (cf. Strabonis ‘Geogr.’ I p. 12C), contra quaestio de aeris natura deque frigore et aestu in locum de sublimibus cadat, Strabonem ‘*μετεωρολογικὴν πραγματείαν*’ tractationem rerum caelestium et sublimium intellexisse manufestum est.

Rarissime ab iis qui post Aristotelis memoriam fuere meteoron vocabulo una caelestia corpora significantur: velut a Sosipatro comico fr. 1, 25sqq. K.:

δεῖ τὸ μάγειρον εἰδέναι πρώτιστα μὲν
περὶ τῶν μετεώρων τάς τε τῶν ἄστρων δύσεις
καὶ τὰς ἐπιτολὰς καὶ τὸν ἥλιον πότε
ἐπὶ τὴν μακρὰν τε καὶ βραχεῖαν ἡμέραν
ἐπάνεισι κἀν ποίοισίν ἐστι ζῳδίοις.

Plane novam in adhibendis vocabulis meteoron et metarsion normam secutus est Theophrastus qui quamquam maxime strenuus propagator doctrinae Aristoteleae erat, tamen nequaquam temere in verba magistri iurabat (cf. Zelleri ‘Hist. phil. Graec.’ II^3, 2 p. 821). Namque vocabula *μετέωρα* et *μετάρσια* cum volgo scriptores promiscue usurparent, Theophrastus inter sese distinxit ita ut illo vocabulo caelestia et sublimia, hoc una sublimia innueret. In meteoron igitur voce adhibenda nil novavit, modo novum vocabuli metarsion intellectum invexit. Quae novatio plurimorum tulit plausum. Sed quaeris unde ista odorati simus. Cum Laertianam Theophrasti librorum tabulam quam quattuor partibus contineri constat (de qua re cf. Vseneri aureolam dissertationem quae ‘Anal. Theophr.’ [1858] inscribitur p. 13sqq.) oculis perlustramus, § 44 librum I et II ‘*Μεταρσιολογικῶν*’, § 47 librum I commentationis ‘*περὶ μετεώρων*’ citatum videmus.[1]) Haec autem scriptura iam in altera parte tabulae sedem habet, quae primam quibusdam novis libris complet (cf. Vsener. l. l. p. 14). Uti vero haec, sic illa Theophrasti scriptura a variis scriptoribus Graecis laudatur. Pro titulorum autem diversitate hasce scriptiones aliqua ratione inter se distulisse utique statuendum videtur. An quisquam prudens a Theophrasto idem argumentum tanquam animi causa modo hoc modo illo nomine adpellatum esse credet? Nunc facile quispiam fidelem discipulum magistri vestigiis ingressum meteora significasse sublimia putaverit. Quod ne arbitremur prohibet locus quidam Theophrasteae disputationis de igne ubi metarsion voce regio sublimis vel aeria denotatur. cf. frg. II 1, 3 (p. 51 vol. III Wimmer) — disseritur de potioribus ignem inter et cetera elementa discriminibus —: *μεγίστη δὲ αὕτη διαφορὰ δόξειεν ἂν εἶναι· τὰ μὲν γὰρ καθ' αὑτὰ καὶ οὐδὲν ἐν ὑποκειμένῳ, πῦρ δὲ τό γε τῇ περὶ ἡμᾶς αἰσθήσει φανερόν, εἴτ' ἀριθμητέον εἰς [τὸ* nonne delendum?] *αὐτὸ τὸ φῶς εἴτε μὴ ἀριθμητέον· εἰ μὲν γὰρ καὶ τὸ φῶς, φανερὸν ὡς ἐν ἀέρι γε τοῦτο καὶ ὕδατι, εἰ δὲ μή, τό γε πῦρ τῆς φλογὸς καὶ τοῦ ἄνθρακος ἐν ὑποκειμένῳ. ἡ μὲν γὰρ καπνὸς καόμενος, ὁ δὲ γεῶδές τι καὶ στερεόν. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ἐν τοῖς μεταρσίοις ἐκπυρούμενα καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· πάντα γὰρ ἢ ἀέρος τοιοῦδε πύρωσις ἢ ἀέρος ἅμα καὶ ὑγροῦ καὶ γεώδους ἢ πάντων ἢ τοῖν δυοῖν.* Ex adcurata totius loci consideratione enascitur ut *τὰ ἐν τοῖς μεταρσίοις ἐκπυρούμενα* nihil aliud esse possint nisi ‘ea quae in aere comburuntur’. Alterum indicare lubet locum, quem a Theophrasto originem accepisse admodum est veri simile, ubi perinde atque supra metarsion vox ad regionem aeriam relata est. cf. Aetii plac. III, 4, 4 p. 371b, 11 ‘Dox.’ Diels.: *Ξενοφάνης ἀπὸ τῆς τοῦ ἡλίου θερμότητος ὡς ἀρκτικῆς αἰτίας τὰν τοῖς μεταρσίοις συμβαίνειν.* Xenophanis sunt sententiae, non verba. Haec a Theophrasto suppeditata esse, qui Aetii placitorum originem secum volutarit putare propensus erit. Quae cum ita sint,

1) Qui apud Laertium l. V 43 laudatur Theophrasti liber ‘*περὶ μεταρσιολεσχίας*’ ambigi nequit quin ethici argumenti fuerit.

statuendum nobis est Theophrastum ‘Metarsiologicis’ de iis rebus quae in aere fiunt vel quod eodem spectat de rebus sublimibus egisse. Cui coniecturae egregie favet unicum quod ex illo libro ad nostra tempora pervenit fragmentum. Cf. Plut. ‘Quaest. Gr.’ 7 p. 323, 3sqq. Bern.: *τίνες αἱ πλωιάδες νεφέλαι; τὰς ὑπόμβρους μάλιστα καὶ περιφερομένας ἐκάλουν ‘πλωιάδας’, ὡς Θεόφραστος ἐν τετάρτῃ ‘Περὶ μεταρσίων’ εἴρηκεν.* Vix dubitari potest quin disquisitio ‘*περὶ μεταρσίων*’ a Plutarcho laudata eadem sit atque illa quae a Laertio ‘*Μεταρσιολογικά*’ adpellatur. Res autem fragmento exscripto tractata ad quaestionem de sublimibus spectat.

Quoniam de argumento ‘Metarsiologicon’ certissime iam constat, anquiramus quid Theophrastus libris ‘*περὶ μετεώρων*’ tractarit. Cuius operis duo fragmenta exstant: prius apud Olympiodorum in comm. ad Arist. ‘Meteor.’ l. I p. 239 vol. I Idel., ubi: *τῆς δὲ λοξῆς κινήσεως τῶν ἀνέμων ἄλλην μὲν αἰτίαν ὁ Θεόφραστος ἐν τοῖς οἰκείοις μετεώροις ἀποδίδωσιν κ. τ. ἑ.*; posterius reperitur fragmentum apud Proclum in comm. ad Plat. ‘Tim.’ p. 176 E p. 417 Schnd., ubi legimus: [disquisivisse Theophrastum] *πόθεν μὲν αἱ βρονταί, πόθεν δὲ ἄνεμοι, ποῖαι δὲ αἰτίαι κεραυνῶν, ἀστραπῶν πρηστήρων, ὑετῶν, χιόνος, χαλάζης, ἃ δὴ καλῶς ποιῶν ἐν τῇ τῶν μετεώρων αἰτιολογίᾳ* [corr. Schneider.: libri *ἀπολογίᾳ*] *τῆς πρεπούσης εἰκοτολογίας καὶ αὐτὸς ἠξίωσεν.* Hisce duobus locis docemur Theophrastum in libro ‘De meteoris’ de rebus sublimibus disputasse. Iam quaeris quae tandem ratio inter libros ‘De meteoris’ et ‘Metarsiologica’ intercedere videatur. Res dubitabilis esse non potest, dum modo id quod supra universe de his Theophrasti libris disceptantes contendimus memoria teneamus: scilicet e titulorum differentia conligendum esse argumentum ‘Metarsiologicon’ aliud fuisse atque librorum ‘De meteoris’. Nunc ab usu Theophrasteo vocabuli metarsion profectis certissima nobis ratione comprobare licuit in ‘Metarsiologicis’ una sublimia exposita fuisse. Re ita comparata e duobus frustis a Proclo et Olympiodoro e libello ‘De meteoris’ servatis non concludendum hac scriptura sublimia, sed in ea et sublimia tractata fuisse.

Hoc igitur ‘Metarsiologica’ inter et libros ‘De meteoris’ intererat quod huius libri argumentum latius patebat quam illius, ut quod non solum ad doctrinam de rebus sublimibus sed etiam ad aliam pertineret. Quae quin fuerit doctrina de rebus caelestibus pro re nata ambigi nequit.[1]) Sed longius progredi placet. Non enim ita valde veri simile est a Theophrasto eandem rem bis tractatam esse. Quapropter procliviter quis coniecerit libellum ‘Metarsiologicon’ nihil aliud esse nisi eam partem libri ‘De meteoris’ quae in explicanda doctrina de sublimibus versabatur. Quae suspicio difficultatem illam quam modo indicavi tollit nec habet quod ei repugnet. Nam quod apud Laertium praeter libellum ‘De meteoris’ seorsum ‘Metarsiologica’ laudata reperiuntur, haec res offensioni esse non potest ei qui indolem ac naturam Theophrasti librorum indicis Laertiani perspexerit.

Verum utut haec se habent, hoc plane constat Theophrastum voce metarsion sublimia designasse; meteoron autem vocabulo eum sublimia et caelestia complexum esse veri simillimum est.

Plurimis scriptoribus Theophrasteum novatum adrisisse supra autumavimus. In quibus numerandus est stramenticius Ocellus, qui sub persona prisci illius Pythagorei doctrinam Peripateticam venditat. Nam primarii scriptionis ‘De universo’ fontes sunt Aristoteles et Aristoxenus. Cf. Rhode in ‘Mus. Rhen.’ XXVII (1872) p. 52 et Dielsii ‘Doxogr.’ p. 187. Hic etiam aetatem personati Ocelli rectius atque antehac factum est definivit demonstravitque cum plurima pseudepigrapha Pythagoreorum Augusti memoria confecta essent scripta, libellum ‘De universo’ prius ortum esse quippe qui iam a Varrone memoratus sit (cf. Dielsium l. l. p. 188). Certum terminum post quem falsarius scripserit — adcuratiorem scilicet: nam quod post Aristoxenum fuit hinc non multum lucramur — adhuc nemini contigit investigare. Namque de Andronico (cf. Diels. l. l.) res est perquam dubia. Verum iam locum illum consi-

1) Caelestia a Theophrasto non *μετέωρα* vocitantur, sed *οὐράνια* Cf. frgm. XII 28 p. 159 W. et ib. 34 p. 162 W.

deremus qui ad disquisitionem nostram pertinet. Cf. cap. III, 2 sqq.: *πρῶτον μὲν γὰρ ἀεὶ ὄντος τοῦ κόσμου, ἀναγκαῖον καὶ τὰ μέρη αὐτοῦ συνυπάρχειν· λέγω δὲ μέρη οὐρανόν, γῆν, τὸ μεταξὺ τούτων· ὃ δὴ μετάρσιον καὶ ἀέριον ὀνομάζεται. — Τῶν δὲ μερῶν συνυπαρχόντων ἀνάγκη καὶ τὰ ἐμπεριεχόμενα συνυπάρχειν αὐτοῖς, οὐρανῷ μὲν ἥλιον, σελήνην, ἀπλανεῖς τε ἀστέρας καὶ πλανήτας· τῇ δὲ γῇ ζῷα, φυτά, χρυσόν, ἄργυρον· μεταρσίῳ δὲ καὶ ἀερίῳ πνεύματα, ἄνεμον, μεταβολὴν ἐπὶ τὸ θερμότερον, μεταβολὴν ἐπὶ τὸ ψυχρότερον.* Quibus nihil habeo quod adiciam, cum ipse personatus Ocellus interpretis munere functus sit, ut qui ad explicandum *τὸ μετάρσιον* adponeret *τὸ ἀέριον*. Igitur *τὸ μετάρσιον* ei est ‘sublimis’ regio, qua venti, nebulae, nubes, sim. continentur.

Hic statim adiungam Dionysium Halicarnasseum qui ipse quoque adiectivum *μετάρσιος* in aequo ponit *ἀέριος* adiectivo. Cf. Exc. l. XVI, vol. IV p. 221, 10 sqq. Kiessl.: *τὸ κεραύνιον πῦρ εἴτε δὴ αἰθέριον* (lb. vitiose: *αἴθριον*) *εἴτε μετάρσιόν ἐστιν.* Qui Dionysii locus ideo valde notabilis est, quod ex eo discimus Theophrasteum usum vocabuli *μετάρσιος* primo a. Chr. nat. saeculo iam satis pervolgatum fuisse, utpote qui non solum a philosophis verum etiam ab hominibus a studiis philosophiae plus minus alienis et probaretur et adhiberetur.

Cum Theophrasto etiam Aetius facit qui in prooemiis suis — namque prooemia placitorum syllogae ab ipso Aetio consarcinata sunt (vide Dielsii ‘Doxogr.’ p. 56 proxx.) — adcurate caelestia a sublimibus dispescit et ita quidem ut haec *μετάρσια*, illa *οὐράνια* adpellitet (cf. Dielsii ‘Doxogr.’ p. 364, 9 sqq.).

Omnium autem quicumque Theophrasti novatum amplexi sunt facile nobilissimus est Posidonius qui si rationem temporum spectas paullo ante commemorandus erat. Neque vero eum ceteris Theophrasti adseclis interponere visum est quia uti vocem metarsion sensu Theophrasteo usurpavit, ita in voce meteoron aliam potestatem inesse voluit atque philosophus Eresius. Nimirum Posidonius in adhibendo meteoron vocabulo eos secutus est qui meteora intellegerent caelestia. Verum iam ad singula probanda descendamus.

Exstat apud Achillem quem maximam partem Posidoniana exhibere constat (cf. Dielsii ‘Doxogr.’ p. 19 sqq. et diss. nostrae cap. II) luculenta vocabulorum *μετέωρα* et *μετάρσια* definitio haec: *διαφέρει μεταρσίων μετέωρα· ἢ τὰ μὲν μετέωρα ἐν οὐρανῷ καὶ αἰθέρι ἐστίν· ὡς ἥλιος καὶ τὰ λοιπὰ καὶ οὐρανὸς καὶ αἰθήρ. μετάρσια δὲ τὰ μεταξὺ τοῦ ἀέρος καὶ τῆς γῆς· οἷον ἄνεμοι, νεφέλαι, ὄμβροι, ἀστραπαί, βρονταί, κομῆται, δοκίδες, πωγωνίαι, λαμπάδες, ἶριδες, ἅλωες, διάττοντες, ῥυμοί, ῥύακες.* Quaeritur haec definitio ad Posidoniumne reverti videatur, sicuti multas alias quae apud Achillem leguntur ad eum redire constat (cf. ex. c. p. 78 ‘Uran.’ Pet.), an aliunde sumpta sit. Quae si apud alium scriptorem recurrit quem Posidonianas rettulisse sententias exploratum est, quaestionem profligatam censeo. Ac talis adest: Seneca, quem ‘Naturales Quaestiones’ ex Asclepiodoto Nicaeensi Posidoniana doctrina refersisse scimus (cf. Dielsii ‘Doxogr.’ p. 19 et 225). Seneca igitur l. l. II 1. 1 sqq. sic disceptat: ‘omnis de universo quaestio in caelestia, sublimia, terrena dividitur. ‖ Prima pars naturam siderum scrutatur et magnitudinem et formam ignium quibus mundus includitur, solidumne sit caelum ac firmae concretaeque materiae an ex subtili tenuique nexum, agatur an agat, et infra sese sidera habeat an in contextu sui fixa, quem ad modum anni vices servet, solem retro flectat, cetera deinceps similia. ‖ Secunda pars tractat inter caelum terramque versantia. Hic sunt nubila, imbres, nives, terrae motus, fulgores

‘Et humanas motura tonitrua mentes’,

quaecumque aer facit patiturve. Haec sublimia dicimus, quia editiora imis sunt. ‖ Tertia illa pars de aquis et q. s.’ Concentus qui Achillem inter et Senecam intercedit tam manufestus est, ut quae isti scriptores exponunt ad communem fontem non possint non redire. Hic autem pro re nata nemo alius esse potest nisi Posidonius. Quod quam recte a nobis statutum sit, eis quoque quae apud Senecam definitionem supra exscriptam secuntur eique explanandae inserviunt clarissime ostenditur. Primo sane adspectu mirum videri debet, quod Seneca terrarum motus inter sublimia rettulit. Namque hi, ut nos compertum

et exploratum habemus, potius in terrena cadunt. Neque vero veteribus vera concussionum terrae natura aut indoles plane perspecta cognitaque erat, sed incerti titubabant alii aliam de illarum origine proponentes sententiam. Vide sis Ideleri conspectum opinionum veterum de terra mota in ed. Arist. 'Meteor.' vol. II p. 584 sqq. Seneca autem vel potius eius auctor cum terrae motus ad quaestionem de sublimibus pertinere pronuntiat, ab his illorum explicationem arcessendam esse duxisse putandus est. Nec nos dubios relinquit Seneca. Ait enim l. l. § 3: 'quo modo, inquis, de terrarum motu quaestionem eo posuisti loco quo de tonitribus fulgoribusque dicturus es? quia cum motus terrae spiritu fiant, spiritus autem aer sit agitatus, etiamsi subit terras, non ibi spectandus est: cogitetur in ea sede in qua illum natura disposuit.' Seneca igitur terrarum motus fieri existimat, cum spiritus seu aer agitatus terras subit. Hinc illos contemplandos eo loco quo de rebus sublimibus disputetur. Oculorum aciem velim intendas ad explicationem concussionum terrae a viro docto Romano prolatam. Quam Posidonii esse Laertius comparatus evincit. cf. l. VII 154: *τοὺς σεισμοὺς δὲ γίνεσθαι πνεύματος εἰς τὰ κοιλώματα τῆς γῆς ἐνδύοντος ἢ καθειρχθέντος, καθά φησι Ποσειδώνιος ἐν τῇ ὀγδόῃ* scil. *τοῦ 'Φυσικοῦ λόγου'*.[1]) Nulla igitur potest esse dubitatio quin quae apud Senecam et Achillem de notione vocabulorum *μετέωρα* (= caelestia) et *μετάρσια* (= sublimia) disceptantur ad Posidonium auctorem revertantur.

Iam si placet pauca de Posidonii libris meteorologicis dicamus, de quibus hominum doctorum sententias mirum quantum fluctuare video.[2])

Laertio Diogene auctore Posidonius duabus — ni fallor — scriptionibus peculiari studio res meteorologicas pertractavit: quarum scriptionum prior illa est cui titulus erat *'περὶ μετεώρων'* (cf. La. Diog. l. VII 135: *Ποσειδώνιος ἐν τρίτῳ 'Περὶ μετεώρων'* et 144: *Π. ἐν τῷ ζ'* [sic optim. cod. Burbon. teste Wachsmuthio: deter. libri *ιζ'*; corruptelae origo in propatulo est] *'Περὶ μετεώρων'*); altera inscripta fuit *'Μετεωρολογικὴ στοιχείωσις'* (cf. l. VII 138: *Π. ἐν τῇ 'Μετεωρολογικῇ στοιχειώσει'*); a qua haesito an non diversa sit quae a Laertio in l. VII 138 commemoratur *'Μετεωρολογική'*. Quod vero Bakeus (cf. 'Pos. Rhod. rell.' [1810] p. 83) apud Laertium l. VII 154 pro tradito *ἐν τῇ ὀγδόῃ* restituendum suspicatur *ἐν τῇ 'Μετεωρολογικῇ'*, mirifice labitur. Videlicet ad verba *ἐν τῇ ὀγδόῃ* subaudiendum *τοῦ 'Φυσικοῦ λόγου'*: qui liber paragrapho antecedenti diserte excitatur. Quod autem Laertius modo *Π. ἐν τῷ ὀγδόῳ τοῦ 'Φυσικοῦ λόγου'* citat (cf. l. VII 153), modo *ἐν τῇ ὀγδόῃ* sc. *τοῦ 'Φυσικοῦ λόγου'*, haec inconstantia nil habet admirationis, cum et aliis locis eam apud illum deprehendamus. Cf. ex. gr. l. VII 157: *Χρύσιππος ἐν δευτέρῳ τῶν 'Φυσικῶν'* cum eiusd. libr. 159: *Χρ. φησιν ἐν τῇ δευτέρα τῶν 'Φυσικῶν'*. Iam quaenam ratio inter librum *'περὶ μετεώρων'* et *'Μετεωρολογικὴν στοιχείωσιν'* intercedat disquirendum. Sunt qui hanc pro breviario illius scripturae habeant (e. gr. Schmekel l. l.). Quorum sententia reicula videtur esse. An credi potest ab illo viro docto quem Laertius in enarrandis Stoicorum placitis secutus est — forsitan fuerit Diocles — modo integrum qui ei praesto erat librum *'περὶ μετεώρων'* laudatum esse modo eius epitomam? Qua opinatione me iudice quidquam perversius excogitari non potest. Accedit alia causa quae volgari de 'Compendio meteorologico' opinioni aperte adversatur. Demonstrare quippe licet argumentum librorum 'De meteoris' aliud fuisse atque 'Compendii meteorologici'. Etenim quoniam quem significatum voci *μετέωρα* subesse voluerit Posidonius enucleavimus, iamiam quid ille libello quem *'περὶ μετεώρων'* inscripsit tractarit definire possumus. Procul dubio hoc libro — Senecae verbis ut utar — 'naturam siderum scrutatus est et magnitudinem et formam ignium quibus mundus includitur, solidumne sit caelum ac firmae concretaeque materiae an ex subtili tenuique nexum; agatur an agat et infra se sidera

1) Differt haec Posidonii definitio a volgari Stoicorum. Cf. Dielsii Doxogr. p. 379, 11 sqq.

2) Plane perversa protulit Schmekelius in libro ceteroquin egregio 'Philos. der mittl. Stoa' (1892) p. 14 not. 5. Item scatent erroribus quae disputavit Malchinus 'De auctor. qbdm. qui Pos. adh.' (1893), p. 26 sqq.

habeat an in contextu sui fixa; quem ad modum sol anni vices servet an retro flectat, cetera deinceps similia.' In has igitur res Posidonius in libro ‘*περὶ μετεώρων*’ inquisivisse existimandus est: quae suspicio egregie stabilitur et firmatur duobus quae ex illa scriptione nobis servavit Laertius Diogenes fragmentis. Quorum prius l. VII 144 exstat, ubi legimus: *εἶναι δὲ τὸν μὲν ἥλιον εἰλικρινὲς πῦρ, καθά φησι Ποσειδώνιος ἐν τῷ ζ' ‘Περὶ μετεώρων’*. Quae verba nulla indigent explanatione. Paullo difficilius alterum est fragmentum quod lib. VII 135 legitur: *ἐπιφάνεια δ' ἐστὶ σώματος πέρας ἢ τὸ μῆκος καὶ πλάτος μόνον ἔχον, βάθος δ' οὔ. ταύτην δὲ Ποσειδώνιος ἐν τρίτῳ ‘Περὶ μετεώρων’ καὶ κατ' ἐπίνοιαν καὶ καθ' ὑπόστασιν ἀπολείπει.* Quae Posidonium cum de forma siderum (cf. supra) dissereret exposuisse puto. Cf. Bakei ‘Pos. Rhod. rell.’ p. 242.

Circumscripto librorum ‘De meteoris’ argumento iam videamus num etiam de ‘Compendio meteorologico’ certiora proferri possint. Quo plane easdem res tractatas fuisse atque libro ‘De meteoris’ quam vere negaverimus vel alterum fragmentorum a Laertio ex ‘Compendio meteorologico’ servatorum adfatim docet. Namque res illo tractata non ad *μετέωρα* sed ad *μετάρσια* pertinet. Cf. La. Diog. l. VII 152: *ἶριν δ' εἶναι αὐγὰς ἀφ' ὑγρῶν νεφῶν ἀνακεκλασμένας ἢ ὡς Ποσειδωνίός φησι ἐν τῇ ‘Μετεωρολογικῇ’ ἔμφασιν ἡλίου τμήματος ἢ σελήνης ἐν νέφει δεδροσισμένῳ κοιλῷ καὶ συνεχεῖ πρὸς φαντασίαν ὡς ἐν κατόπτρῳ φανταζομένην κατὰ κύκλου περιφέρειαν.* Disceptavit igitur Posidonius in libro qui inscriptus erat ‘*Μετεωρολογικὴ στοιχείωσις*’ de rebus sublimibus. At cave credas de his unis eum in isto libello verba fecisse. Quod ne arbitremur enixe repugnat primum index libro praepositus. Etenim Posidonius si de rebus sublimibus solis egisset, ambigi nequit quin librum suum argumento adcommodate ‘*Μεταρσιολογικά*’ vel ‘*Μεταρσιολογικὴ στοιχείωσις*’ inscripturus fuerit. Aristoteles sane scripturae suae de rebus sublimibus praemittere potuit titulum ‘*Μετεωρολογικά*’ [1]), nimirum quod ei sublimia audiebant *μετέωρα*.

1) Haec melior memoria; in paucis codicibus liber inscribitur ‘*περὶ μετεώρων*.’ Cf. et Zelleri ‘Hist. philos. Gr.’ II³ 2, p. 87, not. 2.

Idem facere minime licuit iis qui sublimia *μετάρσια* nuncupabant. Quocirca qui primus metarsion vocem ad una sublimia rettulit Theophrastus scriptionem suam de sublimibus vel potius eam libri ‘De meteoris’ partem qua de rebus sublimibus disseruit inscripsit ‘*Μεταρσιολογικά*’ vel ‘*περὶ μεταρσίων*’, ac non ‘*Μετεωρολογικά*’. Sed iam clamantem te audio: “haec si tute recte disputasti, nascitur ut in Posidonii ‘Compendio meteorologico’ elementa rerum caelestium exposita fuerint.” Ne multa: inscriptio libelli nullo pacto explicari potest, si eo aut una caelestia aut una sublimia tractata fuisse putamus. Expediuntur autem simul omnes difficultates si ‘Elementa meteorologica’ et ad caelestes res et ad sublimes pertinuisse existimamus. Tum vero Posidonius adiectivum *μετεωρολογικός* non angustiore sensu, ita ut ad *μετέωρα* = corpora caelestia referret, usurpasse censendus est sed volgari quo caelestia et sublimia comprehendebantur. Quod quam ob rem fecerit haud difficile est dispicere. Nempe brevitati consuluit. Quodsi argumentum libelli exacte describere voluisset, titulus ei ponendus erat hic: ‘*Μετεωρολογικὴ καὶ μεταρσιολογικὴ στοιχείωσις*’. Qui titulus cum parum commodus esset, Posidonius simpliciter librum suum inscripsit: ‘*Μετεωρολογικὴ στοιχείωσις*’. Accedit altera causa quare ‘Elementa meteorologica’ adumbrationi rerum caelestium et sublimium inservisse videantur. Achilleae ‘Introductionis’ primum fontem, Diodorum Alexandrinum, maximam partem Posidoniana protulisse exploratum est. Item certissimum est personatum Aristotelem profundo haustu Posidonianae eruditionis fluctus per disputationem suam ‘De mundo’ diffudisse (cf. Zellerum in ‘Abh. der Berl. Akad.’ 1885 p. 399 sqq.). Neque obscurum est quam potissimum Posidonii scriptionem illi ambo in usus suos converterint. Namque definitio vocabuli mundi quae a Laertio l. VII 138 ex ‘Compendio meteorologico’ conservata est, recurrit et apud Achillem et apud personatum Aristotelem. Praeterea apud hunc (cf. cap. IV 20) Posidonii explicatio iridis quam Laertii auctor ex ‘Compendio meteorologico’ sumpsit eisdem ferme verbis expressa legitur. Unde satis constare existimo Posidoniana quae exhibent Dio-

dorus et Pseudoaristoteles ex compendio meteorologico Apamei petita esse. Quae cum speculamur, partim ad *μετέωρα* partim ad *μετάρσια* spectare facile videmus. Ceterum personatus Stagirita pressius Posidonium secutus est quam Diodorus. Quapropter equidem eo inclino, ut eum etiam dispositionem argumenti Posidonio debere ducam. Quae coniectura si recto talo stat, Posidonius in fronte libelli sui paullo generaliorem disputatiunculam conlocavit quae exordiebatur a definitione verbi *κόσμος*; exin doctrinam de rebus caelestibus explanavit; denique sublimia adumbravit. Sed utut haec se habent, utique nobis statuendum est in ‘Compendio meteorologico’ Posidonium aeque rerum caelestium rationem habuisse ac sublimium. Quem ad modum autem doctrinam de meteoris prolixiore oratione persecutus est libro ‘*περὶ μετεώρων*’, sic de rebus sublimibus fusius egisse videtur in ‘Physico sermone’. Cf. La. Diog. VII 153 et 154. Constabat vero hic non ut volgo perhibent (cf. Bakeum ll. p. 237 et Schmekelium l. l. p. 13) minimum XV libris sed XII. Nam apud La. Diog. l. VII 140 in. optimus cod. Burb., ut comiter certiorem me fecit C. Wachsmuthius, praebet numerum *ε΄* non *ιε΄*. Ceterum ne numerus XII quidem (cf. La. Diog. l. VII 149) extra omnem dubitationem positus est. Fortasse ei adhaeret *ι* antecedentis *τῶι*.

Nulla autem causa est cur ‘Compendium meteorologicum’ ex ‘Physico sermone’ et ex libro ‘De meteoris’ excerptum putemus: immo vero fuit singularis scriptura atque haud pauca continuit quae alibi non tractavit philosophus Apameensis. Quod nisi statuas, intellegi nullo modo potest quod a Laertii auctore iuxta uberiores physici argumenti libros ‘Compendium meteorologicum’ aliquotiens laudatur et respicitur.

Verum haec hactenus. Quamquam non nulli loci scriptorum posteriorum (veluti Philonis Iudaei et Clementis Alexandrini) exstant ubi voces *μετέωρα* et *μετάρσια* leguntur, tamen eos adferre non decrevi, quod utilitas quae inde redundat paene nulla est.

CAPUT II.

De reparanda Posidonii de rebus caelestibus doctrina.

Posidonii Rhodii de rebus caelestibus doctrinam quicumque reparare et refingere animum induxerit praeter eos locos qui expressis verbis utpote Posidoniani a variis scriptoribus adferuntur respiciat necesse est hos potissimum quattuorviros: Plinium, Achillem, cui Suidae demum error cognomen Statio indidit (cf. Dielsii ‘Doxogr.’ p. 17), Geminum, Cleomedem. Quos Posidoniana doctrina libellos suos inrigasse iam pridem homines docti pervidere. Verum cum nemo illorum scriptorum unum philosophum Apameensem in usum suum advocaverit, intentius nobis anquirendum est quatenus quisque eorum Posidonii sententias repraesentare videatur. In qua disquisitione consentaneum est ut ab eo scriptore proficiscamur quem fidelissime Posidonium exscripsisse quemque plurima ab eo mutuatum esse suspicari liceat. Quis autem ille est? Hoc ut investigemus, singulos illos deinceps adcuratius considerabimus circumspiciemusque num quid quem ad modum Posidonio usi sint aut ipsi tradant aut aliunde constet.

Exordiamur si placet a **C. Plinio Secundo**, helluone illo librorum atque antiquitatum. Cuius ‘Naturalis historiae’ liber II ad rem nostram pertinet quippe qui in descriptione mundi versetur in cuiusque auctorum laterculo Posidonii nomen legatur. Sed obstant gravissimi scrupuli quo minus Plinii librum pro idoneo disquisitionis nostrae fundamento habeamus. Ac primum quidem parum certum est ipsumne Posidonium usurparit Plinius an notitiam eius fonti secundario debeat. Ut sane

dubitari nequit quin vir doctus Romanus multorum scriptorum volumina suis manibus tractarit atque haud pauca ipse excerpserit, ita vehementer hercle erraverit, si quis ab eo omnes lectitatos esse crediderit quorum nomina indices fontium exhibent. Quid quod sedulus compilator ipse ingenue profitetur (vide praef. 17) quartam ferme partem scriptorum laudatorum a semet ipso inspectam esse? Atque maxime dubia res est de scriptoribus Graecis. Quorum ignobiliores quod non ipse adiit neminem profecto mirum habebit: demirandum autem quod ne principes quidem illorum ex ipsorum scriptis cognosse videtur. Aristotelem quidem inter auctores suos nominat multusque est in eo citando: verum Aristotelea tantum non omnia accepta refert aut Nigidio Figulo aut Pompeio Trogo (cf. Montigni 'Quaest. in Plin. N. H. de animalibus libros' [1840]). Perinde Theophrastum ipsum a se adhibitum esse vana iactatione simulat (cf. Sprengel 'De rat. quae in hist. plant. inter Plin. et Theophr. interc.' [1890] et 'Mus. Rhen.' vol. XLVI [1891] p. 54 sqq.). Posidonium quoque eis accensendum esse qui per alios viro bono innotuere ut existimem, duabus causis perpellor. Atque primum quidem suspicionem excitat, quod quamquam plurimae Posidonii sententiae per vastam Plinii scripturam dispersae sunt, tamen rarissime illius nomen obviam fit. Augetur haec suspicio eo, quod Plinius inter auctores suos scriptorem quendam Romanum refert quem prolixe Posidonio usum esse exploratum habemus. Constat nimirum Plinium mira quadam impudentia M. Terentii Varronis scripta suppilasse; hic rursus plurima a Posidonio mutuatus est: quod nuperrime certissimis argumentis evictum est a Schmekelio (cf. 'Philos. d. mittl. Stoa' [1892] p. 132 sqq.) et a Wendlingio (cf. Hermae' vol. XXVIII [1893]). Quibus reputatis procliviter quis sibi persuaserit e Varronis libris Plinium 'Naturalem historiam' Posidoniana doctrina implevisse.

Neque vero hoc uno scrupulo nixi Plinium idoneum esse a quo disquisitio nostra proficiscatur negamus. Accedunt alii duo quorum prior ad scriptoris nostri genus dicendi pertinet. Uti quippe consuevit oratione oppido quam turgida inflataque.

Atque adeo saepissime tam obscure tamque perplexe loquitur, ut citius cortinam ex imo adyto mugientem quam hominem disserentem audire tibi videaris. Quae res quanto opere inquisitionem retardet atque impediat dici vix potest. Quid quod non numquam omnino desperandum tibi est elici posse quid scriptor dicere voluerit? Non minus gravis est alter de quo dicturus eram scrupulus. Scilicet Plinius quamvis diligens ac sedulus fuerit, intellegentia rerum aut ingenii acumine haudquaquam eminebat. Unde factum, ut non pauca minus recte adsequeretur aut adeo plane perperam intellegeret (cf. Urlichsii 'Chrest. Plin.' p. XIX). Sed ista decantata sunt. De quibus idcirco tantum commonui, ut quo iure a Plinio proficisci lubricum periculosumque esse autumaverim melius perspiciatur. Mittamus proinde hunc convertamusque nos ad alterum quattuorvirum, ad

Achillem. Cuius opusculi origo et fontes quod clare nobis patent, insigne est meritum Dielsii (cf. 'Doxogr.' p. 19 sqq.). Felici enim acrimonia perspexit Achilleam 'Introductionem' in fundamentis alicuius scriptionis Diodori Alexandrini exstructam esse qui Ciceronis fere memoria floruisse censendus est. Diodorus vero in libello suo maximam partem Posidoniana protulit. Hunc in usum suum convertit Eudorus, et ipse Alexandrinus, Augusti aequalis. Verum cum Eudorum hominem doctissimum in scriptisque veterum multum volutatum fuisse certo sciamus (cf. Zelleri 'Hist. phil. Gr.' III^3 p. 611 sqq.), vix credibile est satis eum habuisse Diodori libellum brevi manu compilasse: immo si multa eum ex largo lectionis suae thensauro deprompsisse et adiecisse autumavero, haud facile quemquam mihi oblocuturum esse confido, tametsi quae ad eum reverti videantur partes propter Achilleae 'Introductionis' condicionem ad amussim demonstrari nequit. Equidem sane eo inclino, ut quem ad modum Stoica e Diodori rivolis profluxisse (cf. Dielsium l. i. p. 21), ita quae ad ceteras philosophorum sectas praecipue Pythagoreos spectant magnam dumtaxat partem suppeditata existimaverim ab Eudoro. Huius denique liber primarius est fons Achillis quem grammatico-

rum gregi adsignandum esse suo iure pronuntiavit Maassius ‘Arateorum’ p. 42. Nec vero probus ille Arati interpres neminem adhibuit nisi Eudorum: quae opinatio vel inde refellitur atque redarguitur, quod in ‘Introductione’ hic illic scriptores laudatos reperimus quos post Eudorum fuisse constat: veluti Thrasyllum, Adrastum, Ptolomaeum (cf. ‘Introd.’ cap. XVI p. 80 ‘Uranol.’ Pet. [1703] et cap. XIX p. 82). Praeterea Achilles commentarium illum Arateum descripsit quo etiam scholiorum Marcianorum auctor usus est: quod Maassius (cf. l. l. p. 21 proxx.) tam luculentis comprobavit argumentis, ut nullus dubitationi relinquatur locus. Verum ne Achillis quidem libellus integer incolumisque ad nostra tempora pervenit, siquidem excerpta nos tenere plus minus exilia cum totus ‘Introductionis’ habitus adfatim declarat, tum index in codicibus Vaticano et Mediceo libello praefixus: *τῶν Ἀράτου ‘Φαινομένων’ πρὸς εἰσαγωγὴν ἐκ τῶν Ἀχιλλέως* (cf. Maass l. l. p. 20).

Quibus perpensitatis equidem summo opere gravor Achilleae scripturae reliquias pro eo fundamento putare quo Posidonii doctrinae rudera indagaturi secure inniti possint. Ambigi enim nequit, quin Diodorei commentarii, robur illud Achillis opusculi, e quibus Posidoniana in ‘Introductionem’ manavere omnia, totiens expilati, in novam formam redacti, cum multis denique alienis ac disparilibus commixti a pristina sinceritate et integritate sensim longe recesserint, ita ut umbrae solum modo eorum nunc supersint.

Transeamus igitur ad **Geminum**, sub cuius nomine libellus circumfertur qui inscribitur ‘*Εἰσαγωγὴ εἰς τὰ φαινόμενα*’. Huius libelli indolem et consilium paucis adumbrare haud a re nostra esse duco. Reapse introductionem astronomicam Gemini qui temporum invidiam defugit librum esse tam argumentum tractatum quam disputandi ratio dilucide ostendit. Strictim enim vero sed luculenter de astronomiae elementis disseritur. Quaecumque autem ad interiorem huius scientiae cognitionem spectant consulto omittuntur. In primis adcuratiores computationes raro inveniuntur, quamquam non plane desunt. Cf. ex. gr.

cap. XIV ‘de evolutione’ (*περὶ ἐξελιγμοῦ*). Quae reputantes si Gemini ‘Introductionem’ in usum scholarum destinatam fuisse contenderimus, haud fallemur. Sed cave cum Blassio (vide eius prgr. ‘De Gemino et Posidonio’ Kiel. [1883] p. 8) Geminum ad Arati carminis interpretationem sua rettulisse statuas. Nempe noster ‘*Εἰσαγωγὴν εἰς τὰ φαινόμενα*’ ac non ‘*Εἰσαγωγὴν εἰς τὰ Φαινόμενα*’ perscripsit (qua de re adi Boeckhii lib. ‘Ub. d. vierj. Sonnenkr. der Alten’ [1863] p. 8 et Schmidt in ‘Philol.’ vol. XLV [1886] p. 304 sqq.). Ceterum perspecto libelli Geminiani consilio iam facile non nullae res expediri possunt in quibus explicandis homines docti merito haeserunt. Atque recte quidem animadverterunt orationem, cum in universum ad certam quandam normam conformata aequabiliter procederet, non nullis tamen locis ab ista norma longe recedere. Plerumque enim ea stricta sed luculenta est: interdum vero aut luxuriat aut usque ad obscuritatem contracta est. Porro iusto iure clamitant esse in hac ‘Introductione’ quae inter sese pugnent. Postremo Gemini libellum quibusdam gravioribus erroribus vel mediocri astronomo indignis deformari non sine causa conquesti sunt (cf. Schmidt l. l. p. 305 et Manitium in ‘Comment. Fleckeis.’ [1890] p. 109 sq.). Nil attinet omnia ea adponere quae de illis asperitatibus atque salebris viri docti argutati sunt: equidem, uti supra significavi, earum explicationem a Gemini scripturae consilio repeto. Quae cum in usum ‘studiosae iuventutis’ confecta esset, consequens est ut frequenter eam descriptam esse existimemus. Nunc vero ultro liquet describendo identidem veterum scriptorum libellos non meliores factos esse: immo gravissima inde contraxere volnera. Itaque si non omnes at certe plurimos errores [1]) qui volgo Gemino obtruduntur exortos putaverim. Porro notum est omnibus temporibus contextus librorum in usum scholarum compositorum parum pie tractatos esse. In quos editores summa cum licentia grassari adsolent nil veriti ex ipsorum sensu atque ingeniolo verba auctoris libelli mutare aut delere

1) Huc faciunt praecipue vitiosi numeri.

aut adeo plane nova adfingere. Talia et Geminianae ‘Introductioni’ evenisse ex multis rebus intellegitur. Huc videlicet faciunt manifestae quae nobis variis locis occurrunt dissensiones et repugnantiae, huc facit etiam inaequalitas illa rationis disceptandi. Interpolationibus autem multis et magnis ‘Introductio’ laborat: quarum maxima et ea apertissima calendarium est ultimo libelli capiti adsutum. Quod cum nullo modo cum sententiis capite XIV expositis conciliari queat, optimo iure pro spurio habuere Boeckh (cf. l. l. p. 8 proxx.); C. Wachsmuth (proll. in cal. Graec. p. XLIV); Schmidt (cf. l. l. p. 293). Verum de ‘Introductionis’ interpolationibus alibi adcuratius disputabimus.

Haec igitur Gemini ‘Introductio’ etsi nullo loco diserte ad Posidonium provocat, tamen aliquam multa doctrinae eius frustula continet: quod qui eam attente perlegerit, facili negotio cognorit. Neque hoc aciem hominum doctorum praeteriit. Longius autem progressus est Blassius qui programmate modo laudato evincere studuit Gemini ‘Introductionem’ ex uno Posidonio haustam esse. Nec vero multorum ille plausum tulit. Acriter enim ei oblocuti sunt validissimis argumentis freti Schmidt l. l. p. 308 sqq.; Tannery in libro ‘Géom. Gr.’ (1887) p. 29 sqq.; Manitius l. c. p. 101 proxx. Qui viri docti ut Blassii opinionem futtilitatis evidenter coarguisse, ita de testimoniis veterum scriptorum quae ad Geminum pertinent parum recte iudicasse mihi videntur. Quocirca equidem totam quae de Gemino est retractare decrevi quaestionem quam altioris indaginis esse sentio quam volgo putant.

Incipiamus vero a testimonio Prisciani Lydi. Qui, vel potius barbarus ille qui medio aevo eum in sermonem Latinum convertit, p. 42, 8 sqq. Byw.: ‘usi quoque sumus, inquit, utilibus quae sunt ex Strabonis Geographia; Lavini (i. e. *Ἀλβίνου*) quoque ex Gaii scholis exemplaribus Platonicorum dogmatum; adhuc etiam ex commento Gemini Posidonii de *Μετεώρων*.’ Pristinam Geminiani libelli inscriptionem ut recuperemus, Graeca nobis refingenda sunt. Quod facile et probabiliter fieri potest, modo quam in scriptore Graeco vertendo normam

secutus sit barbarus interpres memoria teneamus. Quem artissime versionem suam ad Prisciani exemplum adplicavisse non difficile est intellectu. Quid quod haud raro tantopere sibi indulsit ut Graecas constructiones retineret ab Latini sermonis ingenio plane alienas? Veluti p. 67, 30 Byw. legimus ‘ut congelari aëra’: quod nil aliud esse nisi Graecum ‘*ὥστε συμπήγνυσθαι τὸν ἀέρα*’ bene pervidit Bywaterus. Praeter hanc alia quam maxime notabilis barbari est consuetudo quippe a qua explicatio plurimorum errorum plurimarumque obscuritatum versionis Latinae arcessenda sit. Solet nimirum vir bonus in convertendo Graecos articulos plane neglegere singulaque nomina articulis nudata eodem ordine quo conlocavit Priscianus Lydus exhibere. Quae ratio licet simplex atque commoda sit, tamen usque quaque semperque salvo sensu salvaque orationis perspicuitate usurpari non potest. Ne multus sim, uno sed luculento admodum exemplo defungar. p. 42, 13 Byw. haec exstant: [usi sumus] ‘Didymoque de Aristotele et ipsius scriptore dogmatum’. Sagaciter Bywaterus haec verba Graece in hunc modum sonasse divinavit: ‘*Διδύμῳ τε τῷ περὶ Ἀριστοτέλους καὶ τῶν αὐτοῦ γράψαντι δογμάτων*’. Hasce duas interpretis consuetudines utique teneat oportet quicumque cum Prisciano Latino rem habet. Iam de Geminiani libelli inscriptione videamus. Ac primum quidem quamnam Graecam vocem interpres illo ‘commento’ expresserit rimandum est. Cogitare quidem licet omnino de vocabulis *ὑπόμνημα* et *ἐξήγησις*. Utram vocem Priscianus dederit facili opera diudicari potest, dum modo barbari interpretis rationem vertendi reminiscamur eamque Priscianei fontium laterculi inscriptionem adsciscamus ubi vox commenti recurrit. Adserit enim Lydus p. 42, 14 Byw. sese usum esse ‘et Dorothei Naturalium Aristotelis commento.’ Ubi cum vocabulo commenti genetivus adiunctus sit, consequens est ut a Prisciano vox *ἐξήγησις* ac non *ὑπόμνημα* posita fuerit. Neque enim Graeci scriptores vocabulum *ὑπόμνημα* (= commentarius) cum genetivo libri ad quem pertinet hoc copulare solent, sed utuntur praepositione *εἰς* (cf. Maur. Schmidt. ‘Did. Chalc. frg.’ p. 12 sqq.

Θέωνος Ἀλεξανδρέως ὑπομνήματα εἰς τὴν Πτολεμαίου Μαθηματικὴν σύνταξιν; *Εὐσταθίου ὑπομνήματα εἰς Διονύσιον* innum. al.). Ergo Dorothei libri inscriptio Graeca haec fuit: *Ἀρωθέου τῶν Φυσικῶν τῶν Ἀριστοτέλους ἐξήγησις*. Cum qua contendas indicem Hipparcheae scriptionis nuper a Manitio evolgatae: *Ἱππάρχου τῶν Ἀράτου καὶ Εὐδόξου Φαινομένων ἐξήγησις*.

Quoniam quo vocabulo Graeco barbari interpretis 'commentum' respondeat eruimus, extra dubitationis aleam positum est quem ad modum Gemini libellus Graece inscriptus fuerit. Aut fallor aut ille in fronte hunc gessit titulum: *Γεμίνου τῶν Ποσειδωνίου περὶ μετεώρων ἐξήγησις*. Vides Geminiani libelli indicem prorsus ad eandem rationem formatum esse ad quam librorum Dorothei et Hipparchi inscriptiones. Quaestio iam subnascitur ad vivumne quod aiunt resecemus Geminiani libelli quam Priscianus largitur inscriptionem necne, vel ut apertius loquar, Posidonii lucubrationem quae '*περὶ μετεώρων*' inscripta erat an aliam eiusdem auctoris scriptionem meteorologici argumenti a Gemino enarratam commentario atque inlustratam esse putemus. Quod si constaret titulum illum quem exhibet Lydus a Gemino libro suo impositum esse, res nulla disceptatione indigeret. Nec vero constat. Quicumque enim ceteros a Prisciano suppeditatos contemplatus erit librorum titulos, facili opera perviderit eos partim parum adcurate expressos esse: interdum enim Priscianus sat habet argumenta librorum indicasse. Cf. ex. gr. indices librorum Aristotelis hos [p. 41,18 sqq. Byw.]: 'actionibus Aristotelis de physica .... et *μετεώρων*'. Unde ambigi potest num Geminianus liber ea inscriptione ornatus fuerit quam apud Priscianum legimus. Sed nihil opus est hariolari aut suspicari, ubi certissime de controversia constituere licet.

Inspiciendum 'Solutionum ad Chosroen' cap. IV. Argumentum inibi explanatum primo enuntiato indicatur (p. 63, 24 sqq.): 'et hoc deliberandum quare per unumquodque climatum sint IIII conversiones solaris anni, vernalis et aestiva et autumalis et hiemalis: et his in una distinctione temporis factis, diei et noctis magnitudo et brevitas et aeris perturbationes et nimbus et caliditas et frigiditas per unumquemque locum et clima differt et variatur.' Quem ordinem insequens inquisitio adcurate servat utpote quae a conversionibus solis ordiatur et in quaestionem de calore et frigore decurrat. Sententiae autem tam arte inter se copulatae et conexae sunt, ut ex uno fonte cap. IV profluxisse satis constare videatur. Quod eo magis nobis statuendum est, quod ceteris quoque locis in adumbrandis singulis argumentis vel eruditionis locis Priscianus non, uti ipse vana iactatione gloriatur, complures sed fere unum auctorem in universum sequi solet. Luculentissimum exemplum circulatoriae illius Prisciani venditationis cap. X (p. 98, 24 sqq.) est. Quod excepto uno loco unius Aristotelis de ventis doctrinam expromit, licet Priscianus in calce disputationis suae admirabili cum gravitate adseveret (p. 104,3 proxx.): 'haec enim sunt ex multis scriptoribus accepta adprobatione nobis sollicita de ventorum generatione et in quantum moventur et quo modo aera commovent proprio motu.' Cf. Rosei 'Anecd. Graecol.' (1864) vol. I p. 26.

Quem autem auctorem Priscianus in conscribendo cap. IV secutus est? Iam Blassius (l. l. p. 20) et Bywaterus (in adnot. ad cap. IV) definitiones notionum astronomicarum in cap. IV 'Solutionum' propositas summam similitudinem habere cum eis quae in Gemini 'Introductione' leguntur rectissime animadverterunt. Sed latius patet cognatio: namque etiam in aliis multis rebus sententiisque mirus inter 'Isagogen' et cap. IV Priscianei libelli intercedit concentus. Veluti quae Lydus p. 64, 25 sqq. de cingulis terrae exponit, ea eisdem ferme verbis expressa reperiuntur apud Geminum p. 29 'Uran.' Pet. Tamen toto quod aiunt caelo erraret, si quis quam nos tenemus Gemini 'Introductionem' a Prisciano ad usus suos advocatam esse putaret. Quod ne existimemus, vetat quod quamvis stricta sit atque praecisa Lydi oratio, tamen uberius ab eo Geminiana 'Isagoge' opus expilatum esse adhuc perbene cognosci potest. Atque suo iure Blassius — cui ceteroquin Priscianus diligentiore scrutatione indignus visus est — quasdam definitiones pleniorem formam ostendere commonuit (cf. eius

progr. p. 20), velut eam qua notiones vocabuli diei describuntur. Nam compara sis:

Prisc. p. 65, 22 sqq.

dicitur enim dies tripliciter: aut secundum corpus aer a sole illuminatus; aut secundum ab ortibus in occasum tempus extentum, in quo centrum solis ab ortu in occasum pervenit, i. e. tempus a quo sol incipit superare orizontem usque dum totus occidat; dicitur quoque diei et noctis tempus dies.

Gem. Isag. p. 13

ἡμέρα λέγεται διχῶς·

καθ' ἕνα μὲν τρόπον χρόνος ὁ ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου μέχρι δύσεως·

καθ' ἕτερον δὲ τρόπον ἡμέρα λέγεται χρόνος ὁ ἀφ' ἡλίου ἀνατολῆς μέχρις ἡλίου αὖθις ἀνατολῆς.

Priscianum paullo locupletiorem esse agnoscis. Nam ut alia omittam, cum Geminus in ‘Introductione’ duas vocis diei notiones circumscribere satis habeat, apud Priscianum his tertiam adiunctam invenimus: quam cur Geminus in ‘Introductione’ non memorarit haud difficile est dispicere.

Porro haec considera:

Prisc. p. 65, 28 sqq.

orizon autem dicitur circulus dividens manifestum mundi ab occulto et extremus visibilis hemisphaerii quod supra nos est circularis finis in campum pelagi undique nihil omnino obsistente, ita ut in circulari plano ambiat et resecet mundi manifestam sectionem, ad veritatem quidem minor hemisphaerio, ad visum vero hemisphaerium.

Gemin. p. 12.

ὁρίζων δέ ἐστιν κύκλος ὁ διορίζων ἡμῖν τό τε φανερὸν καὶ τὸ ἀφανὲς μέρος τοῦ κόσμου καὶ διχοτομῶν τὴν ὅλην σφαῖραν τοῦ κόσμου, ὥστε ἡμισφαίριον μὲν ὑπὲρ γὴν ἀπολαμβάνεσθαι, ἡμισφαίριον δὲ ὑπὸ γῆν.

Maximi denique momenti est, quod in capite IV Prisciani sunt quae in ‘Introductione’ omnino frustra quaeras. Huc facit definitio p. 66, 3 sq. prolata. Quam tamen non ab ipso Lydo

adiectam esse, sed ex eadem officina prodisse e qua ceteras definitiones rerum astronomicarum cum per se admodum veri simile est, tum tota eius quasi clamat indoles. Perinde ambiguum esse nequit quin et extrema cap. IV[i] pars quae est de perturbationibus aeris et de similibus rebus ad eum revocanda sit cui cetera quae in hoc capite exponuntur debet Priscianus: quod artus quo illa cum praecedentibus continetur conexus abunde evincit. Neque vero quae ea pertrectantur res in Gemini ‘Introductione’ occurrunt. Unde exstare et eminere reor Priscianum ad componendum cap. IV ‘Solutionum’ non ‘Introductionem’ Gemini adhibuisse. Quo modo vero notandam illam quae inter hanc Gemini scriptionem et caput illud Prisciani intercedit sententiarum et interdum verborum convenientiam explicabimus? Nimirum statuendum est Prisciani cap. IV et Geminianam ‘Introductionem’ ex communi fonte manasse, e quo uterque auctor quae ei adridebant exscripsit. Hunc autem fontem indagare haud arduum est, dum modo Prisciani fontium laterculum auxilio arcessamus. In quo p. 42, 9, ut supra iam vidimus, ‘Commentum Gemini Posidonii de *Μετεώρων*’ commemoratur: quod quin fundamentum sit et Prisciani cap. IV[i] et Gemini ‘Introductionis’ non poterit non conligere quicumque quae hucusque de ratione Priscianum inter et ‘Isagogen’ Geminianam intercedente disceptavimus secum reputarit.

Iam eo provecti sumus, ut diudicare possimus utrum Geminus Posidonii librum qui ‘*περὶ μετεώρων*’ inscriptus erat interpretatus sit an res aliter se habeat. Cum Prisciani caput IV quod ex Gemini ‘Commento Posidonii de *Μετεώρων*’ haustum esse modo significavimus non caelestia tantum verum etiam sublimia contineat, adparet non ad librum ‘De meteoris’ Gemini commentarium pertinuisse Priscianumque parum adcurate libelli titulum expressisse. Ergo verba *περὶ μετεώρων* nihil indicant nisi libellum quem Geminus commentario explicavit fuisse meteorologici argumenti. Vocem autem *μετέωρα* a Prisciano non Posidoniano sensu usurpatam esse, sed volgari quo caelestia et sublimia comprehenduntur, non est quod expressis verbis

moneam. Cum igitur Geminus non librum Posidonii ‘De meteoris’ enarrarit, videamus num de altera scriptura cogitare liceat qua Posidonius de rebus meteorologicis egit, dico ‘Elementa meteorologica’. Atque sane multa sunt quae nos ad hoc philosophi Rhodii opusculum vocent. Ac primum quidem paullo generaliorem proponere liceat deliberationem. Quodsi ambitum et indolem libri ‘De meteoris’ spectamus, non ita valde idoneum eum fuisse videmus qui commentariis instrueretur. Constabat enim minimum VII libris (cf. La. Diog. l. VII 144) in eoque pro eius ambitu singulae de rebus caelestibus quaestiones fuse et subtiliter expositae et excussae erant. Talis autem liber qui res ob quas disceptatur quaeque in contentione sunt diligenti et adcurata scrutatione persequatur atque adeo exhauriat, talis inquam liber multo minus ad commentandum invitat multoque omnino minorem et explicandi et disputandi materiem praebet quam compendium quo principia rudimentaque scientiae alicuius stricta oratione proponuntur. Quod quo iure adseramus perspiciet quisquis quantam nubem commentariorum breviculi Dionysii Thracis, Hermogenis, Hephaestionis, aliorum libri conflaverint recordatus erit. Hisce autem libellis plane in aequo ponenda sunt Posidonii ‘Elementa meteorologica’. Hinc etiamsi aliae rationes deessent, breve artis meteorologicae enchiridium a Gemino commentario explanatum quam diffusas disputationes ‘*περὶ μετεώρων*’ multo veri similius esse ego equidem autumare haudquaquam gravarer. Verum nil opus est in coniecturis versari, cum Geminianum ‘Commentum’ reapse ad Posidonii ‘Compendium meteorologicum’ pertinuisse certo comprobari possit.

Vidimus supra a Gemino librum aliquem philosophi Apamei explicatum esse qui et caelestia et sublimia tractaret. Quid ‘Elementa meteorologica’? Nonne haec *μετέωρα* aeque ac *μετάρσια* respexerunt? Profecto hoc nobis statuendum erat. Accedit altera causa eaque gravissima quae ut Gemini commentarium ad ‘*Μετεωρολογικὴν στοιχείωσιν*’ referamus suadet. Exstat enim in Alexandri Aphrodisiei comm. ad Aristot. ‘Meteor.’ (cf. ed. Ideleri vol. II p. 128) disputatiuncula Gemini de arcu

caelesti. Quam cur ex huius ‘Commento’ depromptam esse existimandum sit infra exponemus. Quae propterea quam maxime notabilis est quod in ea Posidonii de arcu caelesti sententia quamquam suppresso auctoris nomine refertur et explanatur. Forte autem fortuna scimus quo in libro hic de iride egerit. Namque Laertius Diogenes relata eius de hac doctrina addit (cf. l. VII. 152): *ὡς Ποσειδώνιός φησιν ἐν τῇ ‘Μετεωρολογικῇ’* (scil. *στοιχειώσει*).

Re ita comparata mihi quidem satis constare videtur Gemini ‘Commentum’ explanationi Posidonii ‘Elementorum meteorologicorum’ ac non libri ‘*περὶ μετεώρων*’ inservisse Priscianumque paullo neglegentius titulum libri Geminiani expressisse.

Quoniam de Prisciano diximus, ad Simplicii de Gemino testimonium transgrediamur. De cuius interpretatione cum summa inter homines doctos controversia sit, diligentius illud considerari necessarium duco. Invenitur autem in Simplicii comment. ad Arist. ‘Phys.’ vol. I p. 291, 34 sqq. Diels., ubi legis haec: *ὁ δὲ Ἀλέξανδρος φιλοπόνως λέξιν τινὰ τοῦ Γεμίνου παρατίθησιν ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν ἐξηγήσεως τὰς ἀφορμὰς ἀπὸ Ἀριστοτέλους λαβοῦσαν.* Sequitur a Simplicio exscriptus locus. Pergit deinde Simplicius: *οὕτως μὲν οὖν καὶ ὁ Γέμινος* (corrigas *Γεμῖνος*) *ἤτοι ὁ παρὰ τῷ Γεμίνῳ Ποσειδώνιος τὴν διαφορὰν τῆς τε φυσιολογίας καὶ τῆς ἀστρολογίας παραδίδωσιν ἀπὸ τοῦ Ἀριστοτέλους τὰς ἀφορμὰς λαβών.* Cardo vertitur in explicandis verbis *λέξιν τινὰ τοῦ Γεμίνου παρατίθησιν ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν ἐξηγήσεως τὰς ἀφορμὰς ἀπὸ Ἀριστοτέλους λαβοῦσαν.* Quae verba qui adcuratius perpenderit aliqua labe turpata esse non poterit non pervidere. Namque ut alia taceam, longissime absunt ab integritate grammatica. Inter paucos illos qui de eorum sinceritate non dubitant M. C. P. Schmidt est (cf. ‘Philol.’ vol. XXXII [1884] p. 94). Qui verba *λέξιν τινὰ τοῦ Γεμίνου ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν* cohaerere censet, *ἐξηγήσεως* autem genetivum cum vocabulis subsequentibus *τὰς ἀφορμὰς*

— *λαβοῦσαν* coniungit. Neque vero hoc per artem grammaticam facere licet: quod ille vir doctus probe sensit, quamvis fortiter dissimulet (cf. ‘Philol.’ vol. XXXV [1886] p. 69 sqq.). Quodsi scriptor Graecus eam sententiam exprimere voluisset quae Schmidtio placet, ei dicendum erat: *τὰς τῆς ἐξηγήσεως ἀφορμὰς λαβοῦσαν*. Sed omnino vereor ut sic umquam homo Graecus locutus sit. Plane enim abundat superfluusque est genetivus *ἐξηγήσεως*, quandoquidem locutio *τὰς ἀφορμὰς λαμβάνειν ἀπό τινος* per se absoluta est atque perfecta nec ullo indiget additamento. Cf. sis extrema verba Simpliciani loci: *οὕτως — ὁ Γεμῖνος — τὴν διαφορὰν — παραδίδωσιν ἀπὸ Ἀριστοτέλους τὰς ἀφορμὰς λαβών*. Verum praeter hasce dubitationes grammaticas alius adest scrupulus haud levis. Etenim cum Priscianus Lydus a Gemino ‘*Ἐξήγησιν τῶν Ποσειδωνίου περὶ μετεώρων*’ perscriptam esse diserte testetur, nihil mehercules perversius esse potest quam apud Simplicium ubi recte coniunctis verbis eundem fere titulum recuperamus, genetivum *ἐξηγήσεως* a verbis antecedentibus *τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν* divellere. Neque ego dubito quin M. C. P. Schmidt, vir ceteroquin indicii sobrietate plane insignis, si Priscianum respexisset, hunc errorem devitaturus fuerit. Ergo utique inter sese copulanda sunt utpote individua verba *τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν ἐξηγήσεως*. Quod in memoria librorum nostrorum non satis adparet, tamen aliquo modo scriptori Graeco indicandum erat atque sine dubio indicavit Simplicius, adcuratae dictionis observantissimus patronus. Aut egregie equidem fallor aut ille dedit: *λέξιν τινὰ τοῦ Γεμίνου παρατίθησιν ἐκ τῆς ἐπιτομῆς ⟨τῆς⟩ τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν ἐξηγήσεως*. Iam omnia bene sese habent. Quam facile vero articulus *τῆς* post-*μῆς* extremam syllabam vocabuli *ἐπιτομῆς* evanescere potuerit, vix est quod diserte moneam. Qua leni medela totus Simplicii locus ad integritatem grammaticam revocatur nec residuum est quod displiceat.[1]) Verbo saltem Tan-

1) Hanc quam nos modo exposuimus et probavimus emendationem primus proposuit Dielsius in adnot. crit. ad Simplicii l. l. (vol. I p. 291, 25) nulla adiecta explicatione. Postea vero illam emendationem deseruit in addendisque ad vol. I p. XXXII articulum ⟨*τῆς*⟩ ante vocabulum *ἐξηγήσεως* inserere iussit (cf. etiam vol. II p. 1463). Huic viri summi coniecturae quam ob causam subscribere nequeam, ex eis quae supra disputavi adfatim elucet.

neryi (cf. ‘Géom. Gr.’ p. 32) coniecturam memorem haud male quidem illam excogitatam, sed ea quam nos commendavimus emendatione deteriorem. Auctor enim est Tannery ut pro *ἐπιτομῆς* exaretur *ἐπιτόμου*. Sed unde tandem rescivit ille Gemini ‘Commentum’ breve vel compendiosum fuisse? Adde quod verborum conlocatio nequaquam Tanneryi coniecturae favere videtur.

Quicumque autem nostram emendandi rationem amplectitur, Alexandro Aphrodisieo cui Simplicius ut ipse profitetur Geminianae *λέξεως* notitiam debet, non integrum Gemini ‘Commentum’ sed epitomam eius praesto fuisse concludat necesse est. Atque hanc epitomam ipse Geminus ne aliis segetes suas demetendas relinqueret confecisse videtur. In quo quid demirandum sit equidem non video. Namque uti supra cognovimus infraque cognoscemus Geminus duce ‘Enchiridio meteorologico’ totam Posidonii de rebus caelestibus et sublimibus doctrinam inlustrandam et explanandam sibi proposuerat. Quam provinciam ita administrasse videtur, ut Posidoniana simpliciter aliis verbis circumscribere haudquaquam satis esse ratus diligenter huius philosophi sententias excuteret et expenderet atque quotienscumque ab eo dissentiret, suam opinionem explicaret, quotienscumque autem haberet quae adderet, ea ne reticeret. Quid igitur mirum si hac ratione commentarius in largum volumen excrescebat? (cf. Boeckhii libr. ‘Üb. d. vierj. Sonnenkr. d. Alten’ [1863] p. 13). Quem si in paullo artiorem formam contraheret, spes erat fore ut multorum gratiam iniret. Neque cum commentarius insigni ac varia doctrina refertus esset, metuendum erat ne eius epitoma exilis aut exsanguis evaderet. Fortassis hic haud inepte quispiam de Hephaestione Alexandrino commonefaciat quem ipsum non semel sed bis ‘Commentationem de metris’ suam excerpsisse et decurtasse constat. Et tamen ultima faex nobis perquam pretiosa est.

Verum aliquantisper in titulo Geminianae scripturae ab Alexandro Aphrodisieo suppeditato commoremur. Pertinuit igitur Gemini commentarius secundum Alexandrum ad Posidonii *Μετεωρολογικά*. At hic omnino non composuit librum qui tali inscriptione ornatus erat. Sequitur ut aut Alexandrum in adferendo titulo paullo neglegentius versatum esse ducamus aut Geminum ipsum parum adcurate significasse ad quodnam Apameensis opus commentarius referendus esset. Quippe Geminus ut quam Priscianus adfert inscriptionem libello suo praefigere non potuit — alioquin a se Posidonii scriptionem ‘De meteoris’ enarratam simulasset: talis autem fraudis suspicio in eum non cadit —, ita potuit libellum suum inscribere ‘*Ἐξήγησις τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν*’. Neque verendum erat ne quem in errorem induceret: etenim cum Posidonius librum inscriptione ‘*Μετεωρολογικά*’ praeditum non confecisset, quivis statim intellegere debebat isto vocabulo non titulum sed argumentum explicati libri denotari. Hinc equidem veri dissimile esse non puto quem Alexander exhibuit libelli Geminiani indicem verum esse. Tamen si quis illum ‘*Ἐξήγησις τῆς Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῆς στοιχειώσεως*’ adcurate inscriptum fuisse contendat, minime ego quidem obnitor.

Iam epitomae Geminiani ‘Commenti’ locum ab Alexandro exscriptum, ab Simplicio nobis servatum diligentius contemplemur, si quid inde ad adcuratiorem commentarii Geminiani cognitionem redundare videatur. Antequam vero de argumento tractato verba faciam, scrupulus quidam Blassii amovendus est. Qui vir doctissimus progr. l. p. 8 sic disputat: [Simplicius] ‘apud Alexandrum Aphrodisiensem e quo totum hoc desumpsit, profecto non invenerat: *ὁ Γέμινός φησι ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῆς τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν ἐξηγήσεως*, qua ratione Dielsius Simpliciana verba ad integritatem grammaticam expleri posse putavit: talia enim si invenisset, numquam in eam opinionem inductus esset ut Posidonium ipsum loqui crederet. An vero de Alexandro, qui in Aristotelem commentarios conscripsit, vel Simplicius vel alius quisquam hunc in modum loqui potuit, cum verba ex eis commentariis attulisset: *οὕτω μὲν οὖν ὁ Ἀλέξανδρος ἤτοι ὁ παρὰ τῷ Ἀλεξάνδρῳ Ἀριστοτέλης τὴν διαφορὰν παραδίδωσιν*?’ Timeo ne Blassius nodum in scirpo quaerat. Nam nihil est profecto, quod nos impediat quo minus verba *οὕτω μὲν οὖν καὶ ὁ Γεμῖνος ἤτοι ὁ παρὰ τῷ Γεμίνῳ Ποσειδώνιος τὴν διαφορὰν τῆς τε φυσιολογίας καὶ τῆς ἀστρολογίας παραδίδωσιν ἀπὸ Ἀριστοτέλους τὰς ἀφορμὰς λαβών* ipsa quoque ex Alexandro a Simplicio translata esse arbitremur. Immo hoc ut faciamus cuncta suadent. Adsolent enim fere veteres scriptores longiusculas aliorum disputationes ita ipsorum orationi inferre, ut in fronte exscripti loci auctoris nomen ponant, in calce autem huius modi notulam adiciant: ‘sic Gaius disserit’. Veluti Cleomedes in ‘Theor. cycl.’ l. I p. 58, 4 Ziegl.: *ἀπὸ τούτων ὁ Ποσειδώνιος τὸ ἐνδόσιμον λαβὼν καὶ πᾶν τὸ ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν κλίμα εὔκρατον εἶναι ὑπέλαβεν*. Secuntur ipsa Posidonii verba. Quibus relatis Cleomedes p. 58, 25 haec adiungit: *ὁ μὲν οὖν Ποσειδώνιος οὕτω φέρεται*. Alterum apud Proclum exstat exemplum. Qui in commentario in Euclidis ‘Elem.’ libr. I p. 176, 25 sq. Friedl. hoc ait: *ταῦτα μὲν οὖν περὶ τούτων ὀρθῶς Γεμῖνος διεῖλεν ἐξ ἀρχῆς, ὅτι τῶν γραμμῶν αἱ μέν εἰσιν κτἑ*. Ad finem perducta Gemini de lineis disquisitione probus compilator adnotat p. 177, 24: *τοσαῦτα καὶ ἀπὸ τῆς Γεμίνου φιλοκαλίας εἰς τὴν τῶν προκειμένων ἐξήγησιν ἀνελεξάμεθα*. Denique locum adponam Olympiodori. Qui in comm. ad Arist. ‘Meteorol.’ cap. XIII. 1 p. 239 vol. I Idel. haec scribit: *τῆς δὲ λοξῆς κινήσεως τῶν ἀνέμων ἄλλην μὲν αἰτίαν ὁ Θεόφραστος ἐν τοῖς οἰκείοις μετεώροις ἀποδίδωσιν, ἄλλην δὲ νῦν ὁ Ἀριστοτέλης. ὁ γὰρ Θεόφραστός φησιν κτἑ*. Relatis Theophrasti verbis Olympiodorus [p. 240]: *οὕτω μὲν ὁ Θεόφραστος*. Numerus exemplorum mirum quantum adaugeri potest. In primis Strabo istam citandi rationem in deliciis habebat. Cf. locos quos congessit Berger ‘Geogr. Fgm. des Hipparch’ (1869) p. 13. Sed exempla tria a nobis adlata satis valent ad opinionem nostram fulciendam qua confisi verba in fine Simpliciani loci et ipsa ex Alexandro petita esse contendimus.

Iam coniungamus notulam quae Geminianae disputati-

unculae praegreditur cum ea quae illam sequitur quidque ex illis consectarium sit aperiamus. Atque hoc statim praefracte nego ipsius Posidonii verba loco a Simplicio servato exhiberi. Etenim Alexander si apud Geminum ipsa Posidonii verba adposito huius nomine descripta invenisset, *λέξιν τινὰ Γεμίνου* se adferre nullo pacto dicere potuit prorsusque absurda eius clausula erat: *οὕτω μὲν οὖν καὶ ὁ Γεμῖνος ἤτοι ὁ παρὰ τῷ Γεμίνῳ Ποσειδώνιος*: perinde quasi quispiam exscriptis carminis quod *Λεόντιον* inscribitur ab Athenaeo in libro XIII servatis versibus hanc adnotationem subfixerit: *οὕτω μὲν οὖν καὶ ὁ Ἀθηναῖος ἤτοι ὁ παρὰ τῷ Ἀθηναίῳ Ἑρμησιάναξ*! At optimo iure Antonini Liberalis fab. XXXIX[ae] subscripserit quis: *οὕτω μὲν οὖν καὶ ὁ Ἀντωνῖνος ἤτοι ὁ παρὰ τῷ Ἀντωνίνῳ Ἑρμησιάναξ*. Namque Liberalis non ipsius Hermesianactis laudat verba, sed suis verbis quam apud Colophonium poetam legit fabulam enarrat. Haud aliter Geminus suis verbis Posidonii de discrimine inter astrologiam et physiologiam intercedente sententiam exposuisse censendus est. Sed unde hoc rescivit Aphrodisiensis? Non fallemur opinor, si ipsum Geminum sive initio sive in extrema parte istius disputatiunculae Posidonii sententias — non verba! — sese expromere aliquo modo significavisse autumabimus. Iam ultro patet qui Alexander dicere potuerit: *οὕτω μὲν οὖν καὶ ὁ Γεμῖνος ἤτοι ὁ παρὰ Γεμίνῳ Ποσειδώνιος κτέ*. Ceterum equidem iniudicatum relinquo utrum sententiae illae Posidonianae quas suis verbis circumscripsit Geminus sedem suam habuerint in ‘Elementis meteorologicis’ an ad horum explicationem ex libro ‘De meteoris’ aut ex ‘Disputatione physica’ ab interprete arcessitae sint. Hoc sane mihi veri similius videtur. Omnino dubitari nequit quin Geminus ad inlustrandum atque enarrandum enchiridium meteorologicum ampliores Apameensis de rebus physicis et meteorologicis libros adhibuerit.

Iam vero argumentum Geminiani loci consideremus.[1]) In cuius priore parte quid astrologia, physiologia quid sit praecise exponitur. Prolixiore tum oratione munera astrologi et physici inter se comparantur. Hoc Geminiani commentarii frustulum ad quamnam Posidoniani libri partem explicandam perscriptum fuerit haud difficile est dictu: nam ad prooemium illud referendum esse argumentum tractatum satis arguit.

1) Cf. Petersen ‘Philos. Chrys. fundam.’ (1827) p. 244; 251; 255.

Alexandro Aphrodisieo ut ipse testatur Simplicius notitiam Gemini debet. Videamus nunc num ille ipse in commentariis suis Gemini mentionem iniciat. Revera semel hic ab Alexandro excitatur in commentario ad Aristot. ‘Meteorol.’ l. III. vol. II p. 128 Ideler. Sed integer locus exscribendus, cum totus ad Geminum revertatur. Cf. p. 127, 11 sqq.: *ὅτι δὲ ἡ ἶρις κατὰ ἀνάκλασιν γίνεται καὶ ἔστιν αὐτῆς κατοπτρικὴ ἡ φαντασία Φίλιππος μὲν ὁ ἑταῖρος Πλάτωνος δεικνύναι πειρᾶται διὰ τοῦ συμμεταχωρεῖν αὐτὴν ἐπὶ ταὐτὰ τοῖς ὁρῶσιν. Ὁπότε γὰρ ἐκεῖνος εἰς τὰ πλάγια μεθίσταιντο, ἐπὶ τὰ αὐτὰ πλάγια καὶ τὴν ἶριν φαίνεσθαι συμμεθισταμένην ὥσπερ ἑπομένην τῇ τοῦ ὁρῶντος ὄψει. Τοῦτο γὰρ ἴδιον τῶν κατὰ ἔμφασιν ὁρωμένων τὸ ἅμα τοῖς ὁρῶσι μεταχωρεῖν καὶ πρὸς τὰ δεξιὰ καὶ πρὸς τὰ ἀριστερά. Ἐπεὶ τά γε κατ᾽ εὐθυωρίαν ὁρώμενα πᾶν τοὐναντίον ὁρᾶται ποιοῦντα. Εἰς μὲν γὰρ τὰ δεξιὰ τῶν ὁρώντων αὐτὰ μεθισταμένων ἐκεῖνα δοκεῖ πρὸς τὰ ἀριστερὰ ἀποκλίνειν· εἰ δὲ οἱ ὁρῶντες αὐτὰ εἰς τὰ ἀριστερὰ μεθίσταιντο, ἐκεῖνα φαντασίαν ἐπὶ τὰ δεξιὰ ἀποκλινόντων παρέχει. Οἱ δὲ περὶ Γεμῖνον καὶ Αἴλιον εἰς δεῖξιν τοῦ ἔμφασιν τὴν ἶριν εἶναι προσχρῶνται καὶ τῷ προσιόντων τε αὐτῇ δοκεῖν καὶ αὐτὴν προσιέναι καὶ ἀποχωρούντων ἀποχωρεῖν, ὥσπερ ὁρᾶται ποιοῦντα ἐν τοῖς κατόπτροις ἐμφαινόμενα.* Geminus hoc loco coniunctim cum Aelio aliquo commemoratur. Scriptorum serioris aetatis citandi rationem qui novit, is quid de duplici auctore Alexandri statuendum sit non nescit: nempe alterutrum alterius nomen largitum esse. Atque ubi de temporibus utriusque eorum qui laudantur constat, facillime diiudicari potest uter alterius mentionem suppeditarit. Exempli gratia dubium esse nequit quin auctor scholii ad Lycophr. ‘Alex.’ v. 615 (p. 127, 11 sqq. Kinkel) quod hanc clausulam subiunctam habet: *ἱστορεῖ δὲ τοῦτο Τίμαιος καὶ Λύκος ἐν τῷ τρίτῳ*, Lycum apud Timaeum

laudatum reppererit (vide Susemihl ‘Hist. litt. Alex.’ vol. I p. 572 adn. 258 et Geffcken ‘Tim. Geogr. des West.’ (1892) p. 5 cum adn. 1). Aeque plana res est apud Proclum in cuius commentario ad Eucl. ‘Elem.’ lb. I Heronis nomen semel cum Porphyrio (cf. p. 323, 7: *οἱ περὶ Ἥρωνα καὶ Πορφύριον*), semel cum Pappo (cf. p. 429, 13: *οἱ περὶ Ἥρωνα καὶ Πάππον*) copulatum legimus. Videlicet quae Proclus istis duobus locis de Herone tradit, ex Porphyrio aut ex Pappo manavere (cf. Tannery ‘Géom. Gr.’ p. 24). Lubrica vero res est et perdifficilis ubi de alterius laudatorum auctorum aetate parum constat. Quid quod re ita comparata omnino tibi desperandum certi quid erui posse, nisi forte alia argumenta suppetunt? Iam cum duos illos auctores ad quos Alexander provocat consideramus, Gemini tempora probabiliter definiri possunt (cf. infra p. 387 sqq.), at Aelius quis, quando fuerit prorsus obscurum inexploratumque est. Plane enim futtilis Ideleri est coniectura (cf. l. l. p. 128**) qui Aelium Stilonem, M. Terenti Varronis praeceptorem, intellegendum esse opinatur. Namque ut multorum scriptorum testimonio constat illum artis grammaticae et antiquitatum Romanarum studiosissimum, omnino scriptorum Graecorum et Latinorum litterate peritum fuisse (cf. Teuffel ‘Hist. litt. Rom.’ vol. I[5] § 148, 1), ita in historia naturali operam ei sumptam esse nemo prodit. Quod vero Idelerus l. l. adseverat: “uti ex Plin. ‘Nat. hist.’ IX. 25 patet, etiam ad naturalem historiam pertinentia conscripsit”, mirum in modum fallitur. Nam evolvas quaeso Plinii locum (l. IX. c. 35, 123). Ibi legimus — sermo est de unionibus —: ‘primum autem coepisse circa Sullana tempora minutas et viles Fenestella tradit: manifesto errore cum Aelius Stilo Iugurthino bello unionum nomen impositum maxime grandibus margaritis prodat.’ Quicumque ex hoc loco Stilonem historiae naturali curam impertivisse eliciat, is profecto ‘scit quod Iuno fabulata est cum Iove.’ Mihi Stilonis disputatio potius ad artem grammaticam spectare videtur. Sed alius est Aelius cuius peritia rerum caelestium summis laudibus effertur: Aelius Hadrianus, patruus magnus cognominis imperatoris.

Verum testimonio quod de illo exstat adcuratius perpenso videmus eum non rationali seu mathematicae rerum caelestium pervestigationi vacavisse, sed Chaldaicis rationibus indulsisse. Cf. Script. Hist. Aug. (vit. Hadr. 1) p. 4, 3 proxx. Jord. et Eyss.: [imperator Hadrianus] ‘ibi a mathematico (h. e. Chaldaeo. Cf. Sext. Emp. ‘Adv. math.’ l. V 1 sqq.) quodam de futuro imperio id dicitur comperisse quod a patruo magno Aelio Hadriano peritiam caelestium callente praedictum esse compererat.’ Igitur hic quoque dimittendus. Quode ideo dixi ut caverem ne quis postea in eum incideret. Alius autem de quo cum aliqua probabilitate cogitari queat Aelius mihi non innotuit. Sed tamen licet Aelii nostri res Cimmeriis quasi tenebris obvolutae sint, erui posse puto Alexander Gemino notitiam Aelii debeat an Aelio Gemini. Duas potissimum res attendas velim. Ac primum quidem cum Alexander Aelium, hominem ceteris omnibus (perinde atque nobis) scriptoribus veteribus ignotum, nisi uno loco non commemoret, haud temerarium sit negare Alexandrum adcuratiorem illius tenuisse notitiam. Geminum contra Aphrodisieus probe noverat epitomamque eius ‘Commenti’ suis ipse manibus volvit: quod Simplicianus locus ostendit. Vel hac deliberatione instituta facile quis eo inclinaverit, ut l. i. Geminum ab Alexandro exscriptum Aeliique ex eo petitam esse mentionem existimet. Cui opinationi validum adstruere possumus firmamentum. Quodsi rem ob quam Geminus citatur spectamus, ad meteorologiam pertinere videmus. Disputat enim ille de iride et ita quidem ut quae de ea profert ad Posidonii de caelesti arcu sententiae explanationem conscripta esse in aprico sit (cf. cum s. scr. loco La. Diog. l. VII 152 et Senecae ‘Nat. Qu.’ l. I. 5. 10. Vide et Bakei ‘Pos. Rhod. rell.’ p. 76 sqq.). Haec qui cum animo suo agitaverit Gemini disputatiunculam ex eius commentario ad Posidonii meteorologica aut ex epitoma huius commentarii — seu ab Aelio seu ab ipso Alexandro (nil refert inpraesentiarum) — haustam esse iudicabit. Nunc vero Alexandrum Geminiani commentarii epitomam in manibus habuisse atque usurpasse certo scimus. Consequens est ut Alexander Geminum descripserit eique Aelii notitiam acceptam referat.

Quod supra totum scholium ex Gemino fluxisse adserui, id facili negotio comprobari potest. Relata enim Philippi, Platonis familiaris, argumentatione Alexander dicere pergit haec: *οἱ δὲ περὶ Γεμῖνον καὶ Ἄλλιον εἰς δεῖξιν τοῦ ἔμφασιν εἶναι τὴν ἶριν προσχρῶνται καὶ τῷ - δοκεῖν κτλ.* Aciem intendas ad verbum *προσχρῶνται*: e quo a Gemino Philippi rationem probatam et usurpatam esse elucet atque adparet.

Summa autem eorum quae hucusque de Gemino disceptavimus est haec: composuit nescio quis Geminus ʿ*Ἐξήγησιν τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν*ʾ qua Posidonii ʿElementa meteorologicaʾ explicaret et enarraret. Qui libellus cum maioris molis esset ab ipso auctore in breviorem formam redactus est. In explanatione autem rerum sic versatus est, ut Posidonii sententias diligenter excuteret, nec non ubicumque ab eo dissidebat quid ipse sentiret exponeret. Quod non raro factum est. Veluti, id quod Prisciani ʿSolutionumʾ cap. IV dilucide docet, Posidonii de zonis terrestribus opinionem improbabat.

De ratione quae inter Gemini ʿCommentumʾ et eius ʿIntroductionemʾ est pauca iam protulimus. Atque hoc nobis evicisse videmur firmissimo necessitudinis vinculo istos duos Gemini libros copulatos ligatosque fuisse. Mire enim in rebus sententiisque conspirant sed ita ut ʿCommentariumʾ ʿIntroductioneʾ multo uberiorem et locupletiorem fuisse attente considerantes haud lateat. Erraret autem vehementer si quis hanc nil aliud nisi epitomam illius esse opinaretur. Quod ne credamus totus ʿIsagogesʾ habitus totaque eius indoles quam maxime adversantur. Neque enim illa ita comparata est, ut qui eam legunt rudera exegeseos alicuius se tenere putent. Cui sententiae in primis ratio disputandi adhibita obstrepere mihi videtur. Quippe strictim res referuntur, non explanantur aut expenduntur. Ne multa: quae commentariorum propria sunt, ea ʿIntroductioniʾ desunt omnia. Ergo aliter concentus qui inter hunc librum et ʿCommentumʾ intercedit explicandus. Recte si video, res simplicissima est. Videlicet Geminus posteaquam grandem et amplum in Posidonii ʿElementa meteorologicaʾ commentarium conscripsit, cum ab illo omnia recte administrata

non existimaret, consilium cepisse censendus est, quae ipse de rebus caelestibus (*μετέωρα*) sentiret — nam ad haec sola pertinet ʿIntroductioʾ —, paucis plagulis exponere. Hoc autem facere non potuit quin commentarium respiceret in Posidonii enchiridium compositum in quo respectu Posidonii sententiarum ab eisque semper orsus singula eorum quae ad meteorologiam spectant diligenter et fuse excusserat et scrutatus erat. Cum vero ratio et consilium ʿIsagogesʾ prorsus alia essent atque ʿCommentiʾ, ultro patet hoc simpliciter a Gemino decurtari non potuisse, ut illa evaderet. Nihil ultra dicendum quam Geminum, cum plane novam scripturam conderet, litteratum ipsius commentarium ante perscriptum adhibuisse.

Sed iam paulisper sistamus gradum. Vides ad prorsus contrarium scopum nos pervenisse atque Blassium. Nam cum hic ingenii lusibus bellis splendidisque quidem, sed parum utilibus usus Geminianam ʿIntroductionemʾ ex uno Posidonio manasse statuisset, nos exacta testimoniorum veterum interpretatione adhibita nihil ex illis de ratione quae Posidonium inter et ʿIsagogenʾ intercedit effici posse ostendimus.

Poteram sane multo compendiosiore via Blassii errores captionesque discutere ita ut Gemini ʿIntroductionemʾ multa continere ostenderem quae a Posidonio aliena esse quicumque non occupata opinione ad istum librum accesserit ilico pervideat. Obligatis uteretur oculis qui cap. XII et priorem cap. XIII partem ad Posidonium reverti contenderet: ubi quae de terrae cingulis nobis propinatur doctrina toto caelo a Posidoniana distat. Perinde cap. XIV quod ʿ*περὶ σημασιῶν*ʾ inscriptum est Posidonii stilo excidisse nequit. Namque cum ab hoc astrologiam (h. e. Chaldaeorum rationes) strenue et enixe defensitatam esse compertum habeamus (cf. Schiche ʿDe font. lib. Cic. q. s. de div.ʾ [1875] p. 8 sqq. et Schmekel l. l. p. 244 sqq.), ab auctore disquisitionis ʿde significationibus astrorumʾ tamquam iusto fundamento carens acerrime illa impugnatur. Quippe principale omnium astrologiae defensorum argumentum quod absoluta quadam omnium rerum compassione (*συμπάθεια τῶν ὅλων*) continetur recto talo stare negat, cum dicit (p. 34, 14 sqq.

'Uran.' Pet.): *'Ησίοδός φησι* [Opp. et D. u. 383/4 p. 227 G.^{3}]

Πληιάδων 'Ατλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμήτου, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.

Οὐ διὰ τὴν τοῦ ἄστρου δύναμιν· παντελῶς γάρ ἐστιν ἀπόπληκτον· εἴτε γὰρ πυρινά ἐστι τὰ ἄστρα εἴτε αἰθέρια, ὡς ἀρέσκει τισίν· πάντα τῆς αὐτῆς οὐσίας καὶ δυνάμεως κεκοινώνηκε καὶ οὐδεμίαν συμπάθειαν ἔχει πρὸς τὰ ἐπὶ τῆς γῆς γινόμενα. Talia qui ab Apameensi scribi potuisse credat, is vereor ne silices concoquere valeat. Possum alia adferre quae a Posidonio aliena esse certissimis potest demonstrari argumentis. Sed nil opus est lucernam in diem proferre. Etenim ex duobus modo indicatis locis satis perspicitur quo iure vel potius qua iniuria Blassius ex uno Posidonio Gemini 'Introductionem' concinnatam esse posuerit.

Quae cum ita sint, Blassianam opinionem sepeliamus unaque cum ea famosam illam commentationem quae inscriptione ornata est: 'De auctoribus quibusdam qui Posidonii libros meteorologicos adhibuerunt. Scr. Fr. Malchin.' (Rostochii 1893). De qua dissertatione equidem iudicium facere nolim. Satis habeo eas sententias adposuisse quas ille utpote fundamentum in fronte libelli sui conlocavit: 'Posidonii libros qui *περὶ μετεώρων* inscripti erant Prisciano Lydo auctore Geminus excerpsit(!!). Gemini epitome a compilatore quodam (?) amputata in hanc aetatem permansit, atque ex iis partibus, quae a ceteris disiunctae interierunt, Simplicius haud breve caput servavit. Ipsum Posidonii opus a Diogene Laertio duobus locis laudatur. Haec fere de libris illis meteorologicis constant(!!!).' Haec intellegentibus iudicibus sufficient.

Verum iam tempus est ad id respondere cuius causa totam de Gemino disputationem instituimus. Conducitne igitur Posidonii doctrinae meteorologicae reliquias indagaturis a Gemini 'Isagoga' proficisci? Quod duplici de causa negabimus: primum quidem quia plane non constat quatenus Geminus in componenda 'Introductione' Posidonium secutus sit; deinde quod libri manu exarati huius libelli nondum qua decet adcuratione

excussi sunt. Atque contextus Petavianus (nam Halmam nil moror) quam sublestae fidei sit quamque vehementer libri ab eo recedant paucis sed admodum luculentis exemplis ostendit M. C. P. Schmidt in 'Philol. Wochenschrift' vol. III nr. 27 p. 837. Iustam autem quaeque omnibus numeris absoluta sit atque perfecta editionem mox nos tenturos auguror: nam Manitium, virum mathematicorum Graecorum in paucis peritissimum, qui Hipparchi 'Exegesin' nuper in lucem emisit, in adornanda Geminianae 'Introductionis' editione occupatum esse audio.

Neque vero iam nobis dimittendus est meteorologus Geminus; restant enim non nullae de eo controversiae quas expedire aut indicare saltem operae pretium esse duco. Gravissima autem quaestio est quaenam ratio inter Geminum astronomum seu meteorologum et eiusdem nominis mathematicum intercedat. De qua quaestione ego principio in animo habebam decidere: cum vero Car. Tittel amicum idem moliri comperissem, consilium abieci vel potius immutavi paullulum. Missa enim adcuratiore illius quaestionis tractatione ea tantum modo proferre constitui quae rem paullo acrius intuentibus suapte sponte sese obtrudant. Ut statim dicam quae mihi ratio inter Geminum mathematicum et astronomum esse videatur, nullus dubito quin hic idem sit atque ille. Quod ut credam tribus potissimum causis adducor. Atque primum quidem utriusque Gemini disserendi ratio simillima. Maiora enim Gemini mathematici scripturae frusta conservata egregio illo exquisitaque doctrina adfluenti Procli Diadochi in Eucl. 'Elem.' librum I commentario nec non 'Variis incerti auctoris conlectionibus' ab Hultschio e tribus libris Parisinis in calce editionis Heronis Alexandrini (Berol. 1864) evolgatis qui vel cursim perlegerit singularem disputandi rationem admiratus erit. Non tam sermonem tersum et luculentum premam, quam morositatem illam molestamque paene diligentiae perversitatem qua Geminus notiones mathematicas dissecat dissectasque discerpere non desistit. Consimiliter auctorem 'Introductionis' mirum et singulare studium notionibus astronomicis dissolvendis impen-

dere videmus. Deinde magna sententiarum communitas est fragmento ex epitoma Geminiani ‘Commenti’ apud Simplicium servato cum mathematici Gemini disputatiuncula de discriptione artium mathematicarum (cf. Procli comm. in Eucl. ‘Elem.’ l. I p. 38, 1—42, 8. Vide et Tannery ‘Géom. Gr.’ p. 38 sqq.). Postremo uterque Geminus Stoicorum sectae addictus fuisse videtur. Quod cum ex aliis rebus concludendum est, tum inde quod ambo ad Stoicos auctores provocare singularibus in deliciis habent. Atque mathematicus Geminus apud Proclum l. l. p. 395, 14 Chrysippum laudat; aliis rursus locis paullo generalius de iis loquitur qui cum Stoicis faciunt (*οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς*) (cf. Procl. l. l. p. 77, 3; 89, 17; 194, 1; 397, 2). Plurimus vero est in adferendo Posidonio Apameo adeo ut eum huius studiosissimum fuisse dilucide adpareat.[1]) Iam Geminum meteorologum vel astronomum consideremus. Qui pro libelli sui consilio in ‘Introductione’ scriptorum nomina profert rarissime: tantum XVII scriptores in genuinis ‘Introductionis’ partibus laudantur. Quos cum acrius intuemur, invenimus quattuor eorum germanos Stoicos fuisse: Aratum (cf. Susemihl ‘Hist. litt. Alex.’ vol. I p. 288), Boethum, Cleanthem, Cratetem; duos autem magnam cum Stoicorum secta necessitudinem habuisse: Eratosthenem (cf. Susemihl. l. l. p. 410 sqq.) et Polybium (cf. Hirzel ‘Unters. zu Cic. philos. Schr.’ vol. II [1882] p. 841 proxx. et Scala ‘Die Stud. des Polyb.’ vol. I [1890] p. 201 sqq.). Ex iis autem qui residui sunt scriptoribus, quattuor apud Stoicos plurimum auctoritate valebant: dico Homerum, Hesiodum, Aristotelem, Hipparchum. Quorum posteriores duo praecipue a Posidonio magni aestimati sunt. De septendecim igitur scriptoribus in ‘Introductione’ commemoratis decem sunt aut Stoici aut Stoicis plurimi ducti. Nonne hinc iure ac merito quis Geminum astronomum a Stoicorum partibus stetisse effecerit? Quod vero supra Geminum mathematicum Posidonii studiosissimum fuisse adfirmavimus, idem de meteorologo valet. Qui etsi in ‘Introductione’ nullo loco

1) Stoica quaecumque in Procli commentario insunt ex Gemino fluxere (cf. Tannery ‘Géom. Gr.’ p. 18 sqq.).

Posidonii mentionem fecit, tamen eum non ignorabat. An non exinde quod philosophi Apamei ‘Elementa meteorologica’ commentario inlustravit, consequitur eum peculiare illi studium impendisse? Sed haec hactenus. Possunt multa alia adferri quibus arguatur nil esse causae quare Geminum mathematicum a meteorologo diversum esse putemus: verum mihi praecipua delibasse satis est.[1]) Tamen hoc unum addiderim quod ad nostram de Gemino sententiam conroborandam non nihil facere videatur. Constat nimirum Geminum mathematicum etiam astronomiae operam navasse. Quod ex ea re liquet quod ille in opere suo ‘*περὶ τῆς τῶν μαθημάτων τάξεως*’ singulari capite illam scientiam tractavit (cf. Procl. l. l. p. 41, 19—24).[2])

His peractis iam inquirendum est qua fere aetate Geminus fuerit. Atque terminum quem vocant ‘post quem’ eo nanciscimur quod Posidonius a Gemino laudatur, terminum vicissim ‘ante quem’ eo quod ipse Geminus ab Alexandro Aphrodisieo citatur quem sub imperio Septimii Severi floruisse scimus (cf. Philopon. ad ‘Anal. pr.’ fol. 33 b). Verum artioribus terminis Gemini tempora circumscribi possunt adhibito loco quodam ‘Isagoges’. Famosus est ille locus de Isiis Aegyptiacis (cf. ‘Intr.’ cap. V p. 19 ‘Uran.’ Pet.) cuius ope quando ‘Introductio’ conscripta sit sat adcurate eruere licet. Discrepant sane paullulum hominum doctorum sententiae de temporis nota ex isto loco petenda: nam cum Petavius (cf. l. i. p. 19 not.) computatione instituta invenisset annum a Chr. nat. LXXVII; Boeckhius (cf. ‘Üb. d. vierj. Sonnenkr. d. Alten’ [1863] p. 203) annos LXXIII—LXX; Blassius (cf. eius prg. cit. p. 5) annos LXXIII—LXVII: Tannery aliter rationes rettulit (cf. ‘Géom. Gr.’ p. 30 proxx.) ostenditque ‘Introductionem’ utique post annum a. Chr. natum LXX, fortasse vero non ante annum a. Chr. nat. XXX perscriptam esse. Quibus equidem nihil habeo

1) Fusius disputabit C. Tittel qui et scrupulum Manitii (cf. ‘Comm. Fleckeis.’ [1890] p. 102) evellet.

2) Ceterum haec de rebus caelestibus disputatio plane aliud consilium secuta est atque ‘Introductio’; insuper ab hac argumento tractato aliquantum differebat.

quod adiciam nisi album calculum me tribuere sententiae Tanneryi cuius argumenta tam valida mihi videntur esse ut redargui nequeant.[1])

At negat Blassius l. l. p. 10 illam temporis notam ad Geminum pertinere; potiusque referendam censet ad Posidonium cum ex hoc Geminus 'Introductionem' suam consarcinaverit. Quod argumentum nihili est, siquidem Blassio minime contigit ut Geminum omnia sua a Posidonio suffuratum esse demonstraret. Iam supra nos duas maiores indicavimus 'Isagoges' partes (cap. XII. XIII prior. part. XIV) quae ex Posidonio certo non manavere. Quibus facili opera cum alia adiungere possis, tum quae agitur de Isiis Aegyptiacis disquisitionem. Nam est certa quaedam causa qua de Posidonio auctore cogitare prohibeamur. Gemini enim disputatio spectat ad refutationem eorum qui hibernas solis conversiones in festum Isidis incidere arbitrentur: in quorum numero Posidonius fuisse videtur. Hoc inde concludo quod errorem illum quem Geminus exagitat apud Achillem secure propagari video et quidem loco quodam (cap. XXIII p. 85 'Uran.' Pet.) quem ex Diodoro sumptum esse Stoicus color (cf. praesertim l. l. p. 85, 6—18) adfatim docet. Atqui Diodorus maximam partem Posidoniana protulit (cf. Dielsii 'Doxog.' p. 19 sqq.). Qui si apud Apameensem eum errorem qui a Gemino reprehenditur refutatum repperisset, vehementer procul dubio veritus esset eum recoquere. Sequitur ut disputatio de Isiis Aegyptiorum quae in 'Introductione' legitur a Posidonio abiudicanda sit temporisque indicium quod ex illo loco nascitur ad Posidonium non pertineat[2]). Re ita comparata nihil est cur illud non ad Geminum referamus. Quod facere cogemur adeo, si alia temporis

1) Voluntate in antecedentibus memorare omisi Brandesii commentationem quae 'Über das Zeitalter des Astronomen Geminos und des Geographen Eudoxos' inscribitur (cf. 'Jahrb. für Philol. u. Pädag.' suppl. XIII [1847] p. 199 sqq.), quoniam Boeckhius l. l. p. 10 sq. futtilitatem istius disputationis luculenter coarguit.

2) Quodsi constaret 'Isagogen' Geminianam non ante XXX a. Ch. nat. annum confectam esse (cf. supra p. 387), Blassii opinatio omnino non indigeret refutatione.

nota indagari poterit quae et ipsa ad primum ante Chr. nat. saeculum spectet. Talis autem exstat. Quae quamquam ex silentio arcessita est, tamen firmitate haudquaquam caret. Cum omnes qui a Gemino et in opere 'De distributione artium mathematicarum' et in scriptis meteorologici argumenti laudantur scriptores componimus, sat grandis evadit numerus. Neque vero ullus istorum scriptorum Posidonii memoriam superat. Nam ultimus ipse Posidonius est. Quibus reputatis haud temerarium sit conligere Geminum aut aequalem Posidonii fuisse aut non ita multo post eum aetatem degisse. Hoc autem illud tempus est quod computatione instituta ex loco de Isiis elabitur. Hisce duobus indiciis coniunctis satis constare existimo Geminum primo a. Chr. nat. saeculo floruisse atque 'Introductionem' utique post annum LXX, fortassis vero non ante annum XXX conscripsisse.

Sed dubitant Blassius (cf. l. c. p. 10) et Manitius (cf. l. i. p. 102) propter nominis formam Geminum primo ante Christum saeculo adsignare. Atque ille sic disputat l. l.: 'Auditorem dicunt Geminum Posidonii fuisse, Rhodique et ipsum habitavisse. Utrum igitur is Romanus natione fuit an Graecus? Si enim Graecus, velim mihi explicet aliquis, qua ratione Romano nomine vocitetur, cum nequaquam illa aetate Romana Graecis permixta fuerint, neque exstet ex ea ullum exemplum hominis Graeci sine Graeco nomine. Nam id quidem nihili est, quod quidam *Γεμῖνος* nomen (ita enim plerumque in codicibus scribitur) Graecum esse perhibent, cum nihil Graeci insit praeter accentum; eum enim Graeci ad similitudinem nominum qualia sunt *Στασῖνος, Κρατῖνος* immutaverunt. Si autem Romanus fuit Geminus, primum id ipsum magnopere mirum est, siquidem rarissime tunc temporis Romani homines ad illa studia se adplicuerunt. Tum si quis fuit sive Romanus sive Siculus tam egregie doctus qualis in hoc scripto adparet, quo modo latuit? Exspectandum enim erat, et apud Ciceronem nomen eius frequens esse et apud alios, cum eis annis scripserit, qui plurimis ingenii Romani monumentis inlustrantur.' Cuius deliberationis posteriorem partem secure silentio praeterire possumus.

Namque praeterquam quod illa in hariolationibus versatur umbris tenuioribus, extra dubitationis aleam positum est, quin Geminus homo Graecus fuerit. Hoc enim inde efficitur cogiturque quod Graeco utitur sermone sat puro nec ineleganti adeo ut patrius ei fuisse videatur atque avitus et quod nisi Graecos scriptores nullos commemorat. Litterarum autem Latinarum per totam ʿIntroductionemʾ nec vola est neque vestigium. Itaque una prior particula Blassii disputatiunculae examinanda est. Quodsi ille recte posuit formae *Γεμῖνος* a plurimis codicibus suppeditatae [1]) nihil Graeci inesse nisi accentum eamque Romano nomini ʿGeminusʾ respondere, Geminus noster sane non ad primum ante Chr. nat. saeculum pertinet, sed potius aevo Caesariano addicendus est [2]). Verum enim vero subtimeo ne

1) Ut ipse iudicare possis, cunctos tibi effundam locos qui nominativum aut adcusativum nominis Gemini praebent, adiecta ubi est librorum varia scriptura. Incipiam ab eo scriptore, qui frequentissime Gemini mentionem inicit, a Proclo Diadocho, Euclidis commentatore. Apud hunc forma *Γεμῖνος* hisce locis reperitur: p. 38, 4; 105, 26; 111, 1; 112, 23; 117, 23; 176, 26; 183, 15; 195, 5; 202, 12; 251, 4; 251, 8; 395, 14. Adcusativum *Γεμῖνον* legis p. 185, 8; 188, 5; 188, 11. Omnibus hisce locis omnes libri antepaenultimam syllabam vocis Gemini circumflexo accentu ornatam habent [cf. Schol. in Eucl. El. (vol. V Eucl. ed. Hbg.) p. 107, 20 et 134, 12]. Consimiliter res habet in laterculo ʿInterpretum Aratiʾ vitiose inscripto, quod cod. Vat. 191 (sc. XIV) et Vat. 381 (sc. XV) servatam est. Quode adi Maassi ʿArateorumʾ p. 121sqq. Nec aliter omnes Pappi (vid. ʿ*Συναγ. μαθ.*ʾ l. VIII 3 p. 1026, 8 Hultsch.) libri concinunt in forma *Γεμῖνος*. De scriptura librorum Alexandri Aphrodisiensis parum constat. Nondum enim qua decet adcuratione excussi sunt. Ideleri quidem contextus (cf. Aristot. ʿMeteor.ʾ vol. II p. 128, 1) exhibet formam *Γεμῖνον*. Valde autem fluctuant codices Eutocii in Apollonii *Κωνικά* commentarii. Etenim p. 168, 17 (vol. II Apoll. ed Hbg.) cod. Vat. 191 (sc. XIII) praebet *Γεμῖνος*, cod. Par. 2342 (sc. XIII) *Γεμίνος*, cod. Vat. 204 (sc. X) *Γεμινος* (sic!). P. 107, 25 cod. Vat. 191 et cod. Vat. 203 (sc. XIII) *Γεμῖνος*, cod. Par. 2342 *Γεμίνος*, cod. Vat. 204 *Γεμινος* (sic!). Contra libri ms Simpliciani comm. in Aristot. ʿPhys.ʾ quos Dielsius duces secutus est praebent p. 292, 29 formam *Γέμινος*. At in aliis istius commentarii libris exstare formam *Γεμῖνος* inde suspicari licet quod Aldina hanc largitur. Constat igitur de forma *Γεμῖνος*: quae etiam in tit. qdm. Gr. exstat. Cf. C. I. G. 4684c (*Γεμεῖνος*).

2) Recte enim Blassius l. l. infitiatur ex primo saeculo antechristiano

vir eximius ista quae de Gemini nomine disputavit quibusque Manitio imposuit non multis persuadeat. Ac primum quidem parum veri simile est Graecos eo licentiae progressos esse ut notissimum nomen Romanum tanto opere deformarent quanto opere fit si formam *Γεμῖνος* Romanorum Gemĭno respondere putaveris. At si Blassius a librariis Graecis serioris aevi (nam forsitan de his cogitaverit cum nude Graecos poneret) in libris nostris pro pristina forma *Γέμινος* clam invectam esse censet *Γεμῖνος*, nihil equidem moror; nam forma *Γεμῖνος* exstat in inscriptione quadam Graeca Caesarianae aetatis (cf. nostrae diss. p. 390 adn. 1): unde conficitur eam non fraude nescio qua librariorum creatam esse. Dein sane quam falsum est quod in forma *Γεμῖνος* nihil Graeci inesse contendit praeter accentum. Immo facile et luculenter demonstrari potest probam esse formam Graecam atque perfectam. Etenim quem ad modum a verbo *ἀλέξ-ω* formatum est nomen proprium *Ἄλεξ-ῖνος*, ab *ἔργ-ω* autem *Ἔργ-ῖνος*, item — quis non videt? — a *γέμ-ω* ductum est *Γεμ-ῖνος*. Nihil igitur impedimento est quo minus Gemini nomen Graecum esse ducamus. Iam subtracto validissimo quo nititur Blassiana coniectura fulcimento concussa corruit.

Denique mirus quidam Manitii error circa definitionem temporum Gemini commissus refutationem opperitur. Confidentius enim quam verius vir doctus ille l. l. p. 101 haec ait: ʿDie bisherige Annahme, dass die Isagoge zwischen 90 und

ullum exemplum exstare hominis Graeci sine nomine Graeco. Quippe demum temporibus Caesarianis Romana cum Graecis ita permixta sunt ut Graeci Romana nomina sumerent. Quod volgo facere coeperunt ut videtur imperante Domitiano. Cf. C. I. A. vol. III nr. 1091 ubi Graeci nobis occurrunt hisce nominibus Romanis ornati: *Πρεῖμος* et *Πρῖμος* (utrumque bis in c. titulo), *Βάσσος*, *Φαῦστος*, *Νίγρος*. Vide et C. I. G. ed. Dittbgr. vol. I nr. 3077 ubi nobis obviam fiunt *Πρεῖμος* et *Μαρκιανός*. Eadem ferme tempestate fuit vir Graecus litteris clarus cui Romanum nomen erat: Rufus Ephesius, medicus inlustrissimus. De cuius aetate vide ed. Darembergi et Ruelli (1879) p. 3. Ceterum altero p. Chr. saeculo Graeculi adeo insaniebant circa nomina Romana: id quod inscriptiones satis docent. Cf. C. I. A. III 1148, 1133, al. mult.

71 vor Chr. verfasst sei, wird hinfällig durch die Zitierung des Philosophen Boethus, welcher kein anderer ist, als Boethus von Sidon, der Zeit- und Studiengenosse des 66 vor Chr. (nempe 63 a. Chr. nat. cf. Niese ‘Mus. Rhen.’ vol. XXXVIII p. 567sqq.) gebornen Geographen Strabo.’ Quibus verbis hunc Strabonis subiunxit locum (l. XVI p. 757 C.): *καθ' ἡμᾶς δὲ ἐκ Σιδόνος μὲν ἔνδοξοι φιλόσοφοι γεγόνασι Βόηθός τε, ᾧ συνεφιλοσοφήσαμεν ἡμεῖς τὰ Ἀριστοτέλεια, καὶ Διόδοτος ἀδελφὸς αὐτοῦ.* Insigniter Manitius erravit Boethum qui in Geminiana ‘Introductione’ excitatur eundem esse ratus atque Strabonis aequalem. Qui peripateticus philosophus erat, uti vel ex Strabonis additamento *ᾧ συνεφιλοσοφήσαμεν τὰ Ἀριστοτέλεια ἡμεῖς* elucet (vide Susemihl ‘Hist. litt. Alex.’ vol. II p. 307). A quo probe secernendus est Boethus ille qui et ipse Sidone oriundus erat, sed Stoicum se profitebatur. De cuius aetate beneficio Stoicorum catalogi Herculanensis luculenter nunc constat (cf. Susemihl ‘Mus. Rhen.’ vol. XLVI p. 326): fuit scilicet discipulus Diogenis Babylonii quem quidem anno a. Chr. nat. 155 ab Atheniensibus una cum Carneade et Critolao Romam legatum missum esse accepimus (cf. Cic. ‘Acad.’ II 137; ‘De orat.’ II 155; al. loc.). Hunc Boethum ac non cognominem philosophum peripateticum in cap. XIV Gemini ‘Isagoges’ laudari comparatione duorum locorum Ciceronis libri qui est de divinatione evincitur (cf. Gem. ‘Isag.’ p. 35 med. ‘Uran.’ Pet. cum Cic. ‘De diu.’ l. I 13 et l. II 47). Boethi ergo mentio nostrae de Gemini temporibus sententiae minime obstrepit.

Haec fere habui quae de Gemino, ‘Introductionis’ auctore, exponerem. Exspectaverit fortasse quispiam ut etiam de loco quo Geminus scripsisse videatur verba facerem. Quam quaestionem propterea non attigi quod iam Schmidt in ‘Philol.’ vol. XLII p. 116sqq. tam diligenter eam tamque exacte dispensavit ut novi quidquam vix possis addere.

Iam relicto Gemino ad ultimum de quo dicturus eram Posidonianae doctrinae rivolum nos convertamus, ad **Cleomedem.** Sub cuius nomine scriptio circumfertur quae inscripta est ‘*Κυκλικὴ θεωρία μετεώρων*’. Priusquam vero quae ratio Cleomedem inter et Posidonium intercedat exponam, pauca de illius aetate praefari e re esse mihi videtur. Nam quis ubi fuerit prorsus ignoramus, cum ipse de se nihil tradat neque quisquam veterum scriptorum — consulto misellum Pselli testimonium omitto (cf. eius ‘Omnif. hist.’ cap. 117 apud Fabric. ‘Bibl. Gr.’ V [1712]) — eum commemoret. Tamen hoc unum contendere fas est philosophis potius quam astronomis aut mathematicis Cleomedem accensendum esse. Nam tota eius disceptandi ratio philosophantis est, non mathematici viri exacte computantis subtiliterque rationes subducentis. Hinc iure a Psello l. c. *Κλεομήδης ὁ φιλόσοφος* nuncupatur. Neque dubium esse potest, quin Stoicorum sectae addictus fuerit, cum eius libellus Stoicorum doctrina scateat. Tempora autem Cleomedis vereor ut artis terminis circumcludi queant. Quamquam Zieglerus in dissertatione sua ‘De vita et scriptis Cleomedis’ (1878) ratione quadam astronomica instituta aetatem eius adcuratius definivisse sibi visus est. Sed recte contra eum disputavit Blassius l. l. p. 24 not. 1. Qui Ziegleri argumentationem propterea futtilem esse autumavit, quod quaecumque Cleomedes profert ea non ipsius sed aliorum esse constat (cf. infra), ita ut ad eius aetatem enucleandam parum valeant. Tum haud dubie suo iure idem Blassius l. l. incertissimum esse pronunciavit num omnino Cleomedis auctor stellam quae agitur adcurate observaverit, cum exceptis perpaucis hominibus doctis, veluti Hipparcho, veteres in hac re paullo neglegentiores fuisse res sit explorata. Quod quam adposite Blassius monuerit inde perspicuum est, quod observatio illa (cf. Cleom. l. I cap. 11. 59 p. 106, 28 Zgl.) cuius ope Zieglerus Cleomedis tempora describere conatus est ex quaque, si ad vivum resecatur, annus exit CC, e Posidonio desumpta est ad quem omnino totum cap. XI redit. Qua de re alibi agemus. Quodsi Zieglero conatum frustra captum esse existimo, certissima mihi videtur ratiocinatio eorum qui dicunt Cleomedem cum nusquam Ptolomaei iniecerit mentionem, ante hunc vixisse vel saltem tempore aliquo cum clarissimi illius astronomi Alexandrini doctrina nondum tanto opere praevalebat auctoritate, ut inventa

omnium hominum priorum plane obscuraret (cf. Zelleri 'Hist. phil. Graec.' III^3 1 p. 690 not.; Tanneryi 'Rech. sur l'hist. de l'astr. anc.' [1893] p. 85; Sauppii script. sel. [1896] pg. 1). Cui opinioni plurimum firmamenti adstrui potest. Cleomedes enim — Posidonium, ut facile demonstratu est, secutus — p. 222, 28 sqq. de luminis refractione sic disserit, ut eam existere propter varias aeris adfectiones haud incredibile esse pronuntiet. Neque vero illam utique esse contendere audet. Ptolomaeus autem refractionis luminis naturam penitus perspexerat atque in libris de 'Opticis' (de quibus vide Guentheri 'Gesch. der ant. Naturw.' [1888] p. 56 proxx.) tabulas concinnaverat quibus solaris et lunaris luminis refracti mensuras conlegit. Quodsi Cleomedes post Ptolomaeum aetatem degisset, non est dubitandum quin refractionem luminis reapse esse statuturus fuerit. Terminus igitur ante quem Cleomedes fuisse putandus est, memoria est Ptolomaei qui posteriore alterius post Chr. nat. saeculi parte floruit. Iam terminum qui vocatur post quem quaeramus. Auctorum sane quos nominatim adfert Cleomedes novissimus est Posidonius. Verum et scriptores aetate illo inferiores adhibuit, etsi illorum nomina reticet. Memorantur enim p. 60, 1 Z. homines docti qui Posidonio oblocuntur (*οἱ ἀντιλέγοντες τῇ δόξῃ ταύτῃ τοῦ Ποσειδωνίου*): quos ante alteram primi ante Christum natum saeculi partem fuisse vix est veri simile. Sequitur, ut Cleomedem qui illis Posidonii adversariis usus est, non ante primum saeculum postchristianum vixisse credamus. Quodsi solidam nos summam poposceris, inter annum 1 et 150 post Christum fuisse nostrum puta. Adcuratius Cleomedis aetatem circumscribi posse equidem despero.

Posidonium a Cleomede in componendo libello suo abunde usurpatum esse vel ex grandi numero locorum qui expressis verbis ad illum referuntur (cf. Ziegleri ind. verb. s. v. *Ποσ.*) manufestum est. Sed habemus adcuratissimum testimonium de vinculo quo Cleomedes cum Apameo continetur. Conlocatum est in fine alterius libelli p. 228, 1 sqq. ubi legimus: *εἰσὶ δ' αἱ σχολαὶ αὗται οὐ τοῦ γράψαντος αὐτοῦ δόξας περιέχουσαι, ἀλλ' ἐκ συγγραμμάτων τινῶν ἠθροισμέναι καὶ παλαιῶν καὶ νεωτέρων. Τὰ πολλὰ δὲ τῶν εἰρημένων ἐκ τῶν Ποσειδωνίου εἴληπται.* Quod testimonium si ab ipso Cleomede perscriptum est, maximo nobis ad eius libelli fontes explorandos pretio esse debet. Verum de eius sinceritate pugna est hominum doctorum. Etenim cum Peyronius et Bakeus (cf. huius comm. p. 477) illa verba pro spuriis haberent — eorumque auctoritatem secutus est novissimus editor Cleomedis —, alii ut Blassius (cf. l. l. p. 11 not. 1) ne subdubitaverunt quidem quin ipsius Cleomedis stilo debeantur. Cum vero neque hi neque illi opinionem suam argumentis iustis fulserint, sed plus minusve adseveranter promulgare satis habuerint, utile mihi visum est rem controversam pro eius gravitate paullo intentius perpensitare si qua ratione decerni posset. Atque primum ut par est librorum memoriam speculemur. Excepto codice Taurinensi nr. 363 omnes Cleomedis libri verba supra exscripta exhibent.[1]) Quod autem in libro Taurinensi desunt, cave huic rei nimium tribuas. Nam praeterquam quod illius codicis fides dubia est, — certe praestantiam libri Medicei aut Parisini quode nuper laudabili commentatione disseruit Steinbrueck (cf. 'De Cleom. cosmogr. cod. quod. Paris.' [1894]) non aequat, — defectus ille facillime explicatur. Scilicet quae aguntur verba extrema sunt totius Cleomedeae scripturae. Nihil autem saepius evenit quam ut libri ms aut initio aut in calce aut utroque loco mutilarentur. Inde nihil refert utrum illa verba in codice Taurinensi exstent an ab eo exulent, cum optimorum librorum praesidio munita sint.

Quoniam testimonium a librorum memoria bene fundatum esse ostendimus, anquiramus num quid certi de eius origine statuere liceat. Diligentius fontium notulam contuenti tres mihi sese obtulere causae, quare ab ipso Cleomede eam libello subiunctam esse arbitrarer. Primum quidem adcuratior mihi videtur esse quam ut ab alio eam atque ab ipso libelli

1) Cf. Bakei comm. ad. Cleom. 'Theor. cycl.' p. 477. Falso narrat Ziegler l. l. p. 15 not. 1 a cod. Taur. tantum verba *τὰ πολλὰ — εἴληπται* exulare.

auctore profectam esse credibile sit. Atque plurima quidem quae in ‘Cyclica theoria corporum caelestium’ dicta sunt, e Posidonii horreis suppilata esse, contendere sane poterat qui frequentissime illum scriptorem a Cleomede laudari meminisset. Item notulam [*εἰσὶ δ᾽ αἱ σχολαὶ*] *ἐκ συγγραμμάτων τινῶν ἠθροισμέναι καὶ παλαιῶν καὶ νεωτέρων* ex ipso Cleomedis libro utpote in quo praeter Posidonium haud pauci alii scriptores partim vetustiores (velut Berosus p. 180, 23; Pytheas p. 68, 21; Pythagoras p. 166, 14; al.) partim recentiores (velut adversarii Apameensis p. 60, 1) excitentur, repetitam esse cogitabile est. At vereor ut idem cadat in prima testimonii verba quibus Cleomedis scriptionem nullas ipsius opiniones continere edocemur. Hoc profecto nemo ex ipso libro concludere poterat. In quo ‘magnae sunt partes in quibus Cleomedes ad nullum auctorem provocat sed ita disputat, ut ipsius sententias expromere videatur. Unde satis elucet illud indicium a nullo alio factum esse posse nisi ab ipso libelli auctore. Ad quem cetera quoque quae ad fontes libri indicandos spectant referamus iam necesse est. Ergo integrum testimonium fontium ad Cleomedem redit. Hoc alia quoque ratione comprobare possumus. Clamant Peyronius eiusque adseclae fontium adnotatiunculam olim in codicis margine adscriptam furtim in scriptoris contextum inrepsisse eoque retrudendam esse unde sese subduxerit. Quod quam temere iactatum sit, verba quae paullo ante illam leguntur (p. 226, 24 sq.) luculenter arguunt. Quae si Peyronius quique cum eo faciunt respexissent, particulam *δέ* in altero notulae loco positam respondere modo praegresso *μέν* facile sensissent. Iam cum vocabula notulae antecedentia certo Cleomedis sint, nascitur ut hanc quoque eius esse existimemus. Postremo testimonii origo Cleomedea loco quodam plane gemello evincitur. Prorsus enim similem atque in calce alterius libri adnotationem reperimus in extremo libro primo (cf. Ziegleri diss. p. 15 not.) p. 116, 27 sqq. Z. ubi: *καὶ ὅτι μὲν κέντρου λόγον ἐπέχει ἡ γῆ, διά τε τούτων καὶ ἑτέρων πολλῶν δείκνυται. Προειρηκότες δ᾽ ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ἐπιχειρημάτων, ὡς κατὰ πολὺ μείζων ὁ ἥλιος ὢν αὐτῆς ὅσον*

ποδιαίου ἡμῖν φαντασίαν ἀποπέμπει, ἑξῆς αὐτὸ τοῦτο ἐπιδεῖξαι ὀφείλομεν, ὅσα ἐν τοιαύτῃ εἰσαγωγῇ [1]) *αὐτάρκη ἐστί, προφερόμενοι ἴδιά τινων περὶ μόνου τούτου συντάγματα πεποιηκότων· ὧν ἐστι καὶ Ποσειδώνιος.* Hunc locum ad rem nostram plurimum facere opinor. Consimiliter olim iudicavit Zieglerus l. l.; postea vero sententiam suam ignoro quibus rationibus ductus immutavit.

Quae cum ita sint, nullus dubitationi relictus est locus, quin clausula alterius libri a Cleomede originem suam acceperit.

Qui autem — quaerere lubet — Peyronio eiusque adstipulatoribus succurrit illam notam a Cleomede alienam esse putare? Non enuntiant, sed divinare licet. Nempe scriptorem aliquem tale de se profiteri quale profitetur Cleomedes plane inauditum eis visum est. Consueverunt quidem plerique veterum scriptorum fontes unde hauserunt anxie callideque celare. Tamen non desunt qui probi atque honesti hominis esse existimaverint indicare per quos sua acceperint. In quo numero C. Caec. Plinius Sec. est qui ‘Naturalem historiam’ conscripsit. Cuius de fide litteraria disputatiuncula prooemio ‘Nat. hist.’ inserta digna est quae hoc loco adponatur. Cf. p. 18, 30 sqq. Detl.: ‘Argumentum huius stomachi mei habebis, inquit, quod in his voluminibus auctorum nomina praetexui. Est enim benignum, ut arbitror, et plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris: non ut plerique ex iis quos attigi fecerunt. Scito enim conferentem auctores me deprehendisse a iuratissimis et proximis veteres transscriptos ad verbum neque nominatos.[2]) — Obnoxii profecto animi et infelicis ingenii est deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere cum praesertim sors fiat ex usura.’ Sic probus ille compilator. Cui lubenter condonamus quod gloriolae captandae causa veris auctoribus aliorum scriptorum nomina quae ex illis expisca-

1) Igitur Cleomedis liber eidem usui inservire volt atque Gemini *εἰσαγωγὴ εἰς τὰ φαινόμενα*.

2) Cf. furtorum catalogum Clementis Alex. in ‘Strom.’ VI 2 et Porphyrii apud Euseb. in ‘Praep. Evang.’ X 3.

tus est admiscuit, praesertim cum ipse hoc se fecisse haud tecte pronuntiet (cf. p. 17, 32 D.). Non absimilis Plinio Priscianus Lydus est qui 'Solutionibus' ad Chosroen missis fontium laterculum praemisit. In quo praeter veros fontes sunt quae num ab ipso Prisciano inspecta sint merito dubitaveris.[1]) Nude autem ac vere et sine ulla iactationis specie auctores suos significavere Arrhianus in praef. 'Anab. Alex.' et Antoninus Liberalis, de cuius fontium indiculis vide praef. nostr. ad Ant. Lib. p. XLIV sqq. Hisce duobus viris ob mentis simplicitatem et probitatem conspicuis tertius accedit Cleomedes.

Quae ideo potissimum disputavi quod et homines doctos novicios in universum iniquius quam par est de veterum fide litteraria iudicare video pronosque esse ad dubitandum de sinceritate eiusmodi adnotationum qualis illa est quae apud Cleomedem reperitur.

Sed iam exponamus quanto emolumento sit Cleomedis de fontibus suis testimonium ad propositam quaestionem solvendam. Cum et Plinium et Achillem et Geminum gravissimis argumentis freti idoneos esse negaverimus a quibus qui Posidonianae de rebus caelestibus doctrinae rudera indagare decreverint proficiscantur, nihil obstat ne Cleomedis scripturam pro stabili solidoque fundamento habeamus, quippe quam maximam partem Posidoniana exhibere testimonio ipsius Cleomedis liquido constet. Primum igitur perquirendum quibus locis hic Posidonii sententias repraesentare videatur: inveniemus Posidonium ad priorem librum non tam prolixe adhibitum esse quam ad alterum in quo quae disceptantur Posidoniana sunt tantum non omnia. Iam instrumento opiparo instructi transitum faciemus ad Achillem; tum Plinium considerabimus; agmen claudet Geminus. Ex hisce quattuor scriptoribus Posidonii de meteoris doctrinam magnam partem refingere licet. Tamen

1) A Plinii et Prisciani fontium laterculis procul habenda sunt latercula plane fictos ementitosque auctores continentia qualis est fontium index Avieni in 'Ora maritima' v. 37 sqq. [p. 145 Hold.]. Quo de cf. Müllenhoffii 'Deutsche Altert.' vol. I² p. 73 sqq.

non prorsus carere possumus Manilii 'Astronomicis', Suetonii libro 'De naturis rerum', personati Aristotelis disputatiuncula 'De mundo', aliisque qui suppresso auctoris nomine haud pauca Posidonii eruditionis frusta servavere quos tamen hic singulatim dinumerare nihil attinet. Hanc quamvis arduam viam si ingrediemur, multo melius opinor Posidonio consulemus, quam si fundamento arachnae filis infirmiori insistentes undelubet apta inepta desultoria levitate congeramus.

INDEX.

ACHILLES
grammaticis addicendus 364; auctor Isagoges 363 sqq.; eius Isagoge non integra 364 sq.; fontes eius 363 sq.; multa Posidoniana exhibet 355; 359.
AELIVS
nescio quis meteorologus 380 sq.
AELIVS HADRIANVS
patruus magnus cognominis imperatoris Chaldaeorum rationibus deditus 380 sq.
AELIVS STILO
a studiis meteorologicis alienus 380.
AETIVS
Theophrastum secutus *μετάρσια* intellegit sublimia 354.
ALEXANDER APHRODISIEVS
usurpavit Geminiani Commenti epitomam 373; 379 sqq.
ARISTOTELES
princeps *μετέωρα* interpretabatur sublimia 346; eius Meteorol. lib. I iniuria a qbdm. veterum pro spurio habitus 341; non scripsit Meteorol. prooem. 341; Meteorol. libr. omnino interpolationibus deformati 443;
interpretes eius ipsi quoque sublimia *μετέωρα* nuncupant 347;
personatus De mundo multa Posidoniana profert 359.
ARRHIANVS (Peripateticus?)
scripsit l. De meteoris 348; quando floruerit 347; Alexandreae vixisse videtur 347; cometis similibusque phasmatis quidquam portendi negavit 349.
ARRHIANVS (sub c. nom. Circumnav. qdm. cftr.)
a Lydo laudatur 348 adn. 1.
BOETHVS (Stoicus)
a Gemino excitatur 391 sqq.
CLEOMEDES
philosophus 393; auctor Theoriae cyclicae 392 sqq.; quo tempore fuerit 393 sq.; multa Posidonio debet 393 sqq.; eius scripturae codices 395.
DIODORVS (Alexandrinus)
Posidonio prolixe usus est 363.
DIOGENES (Apolloniates)
perscripsit Meteorologiam 344 sqq.
DIOGENES LAERTIVS vide LAERTIVS
DIONYSIVS (Halicarnasseus)
emendatus 354.
EPICVRVS
quo sensu voce meteoron usus sit ope Epist. ad Pythocl. [qua de cf. Useneri Epic. p. XXXIX] demonstratur 347.
EVDORVS (Alexandrinus)
vir doctissimus 363; Diodorum adhibuit 363.
GEMINVS
qua aetate fuerit 387 sqq.; eius nominis forma 390 sqq.; fuit Graecus 390; Stoicorum sectae addictus erat 386; meteorologus idem atque mathematicus 385 sqq.; eius stilus ac ratio disceptandi 385;
auctor Isagoges 364 sqq.; Isagoges titulus 365; Isagoges indoles et ratio 364 sq.; Isagoge aetatem male tulit 365 sqq.; quando conscripta sit 387 sqq.; ad componendam Isagogen non uno Posidonio usus est 383 sqq.; 388; usus est ad eam conficiendam Commento suo 382 sqq.; Isagoges editiones malae 384 sq.;
scripsit commentarium ad Posidonii Elem. meteor. 372 sqq.; huius comm. inscriptio 376; ipse commentarium suum in artiorem formam redegit 375; usus esse videtur ad explicanda Elem. meteor. Posidonii libris De meteoris et Sermone physico 378; eius Commentum fons Prisc. Lydi Solut. ad Chosr. cap. IV 368 sqq.;
Stoica quae in Procli comm. ad Eucl. Elem. l. I insunt suppeditavit 386 adn. 1.
HIPPOCRATES
emendatus 343; 344.
LAERTIVS DIOGENES
inaequaliter citat 357.
LVCIANVS
vocabulis meteorologiae ceterisque sim. contemptim utitur 345.
OCELLVS
personatus De universo 353; eius fontes 353; in adhibendo vocabulo *μετάρσιος* Theophrastum sequitur 353.
PLATO
quo modo meteorologiae nomen usurparit 345.
PLINIVS
auctor Nat. hist. 362; multa Posidoniana in libro II expromit 361 sqq.; Varrone utitur 362; auctores Graecos fere non inspexit 362; acumine haud valebat 363; eius dictio (cf. Gerckii 'Senecastudien' [1896] p. 175 proxx.) 362 sq.
POSIDONIVS
in adhibenda voce meteoron veteres, in adhibenda voce metarsion Theophrastum sequitur 354 sqq.; eius librorum meteorologicorum argumenta 356 sqq.; eius Sermo physicus 360; libri De meteoris 357 sq.; Elementa meteorologica 358 sq.; usurpatus a Plinio 361 sqq.; a Varrone 362; ab Achille vel potius Diodoro 363; 355; a Gemino 366; a Cleomede 393 sqq.
PRISCIANVS
in singulis eruditionis locis unum fere auctorem sequi adsolet 369; parum adcurate citat 368; utitur Gemini Commento 369 sqq.; 371.
eius interpres Latinus quamnam in convertendo normam secutus sit 366 sqq.
PROCLVS
in comm. ad Eucl. Elem. l. I notitiam Heronis Porphyrio et Pappo debet 380; Stoica Gemino 386 adn. 1.
PTOLOMAEVS
in Opticis mensuras composuit solaris et lunaris luminis refracti 394.
SENECA
Nat. Quaest. ex Asclepiodoto Posidoniana doctrina implevit 355.
SIMPLICIVS
eius de Gemino testimonium 373 sqq. emendatus 373.
THEOPHRASTVS
in adhibendis vocibus meteoron et metarsion ab Aristotele dissentit 350 sqq.; scripsit libellum *περὶ μετεώρων*, cuius pars fuisse videntur *μεταρσιολογικά* 350 sqq.; 352 sqq.; emendatus 351.
VARRO (Reatinus)
Posidonium prolixe usurpavit 362.

TABULA ARGUMENTI.

pag.

CAP. I. DE VARIO USU VOCABULORUM *METEΩΡΑ* ET *METAΡΣΙΑ* OBSERVATIONES . . . . . 341—360

A. Quo modo *Aristoteles* eoque priores scriptores vocibus meteoron et metarsion usi sint . . . . . 341—347

B. Quem intellectum homines *Aristotele* posteriores in istis vocabulis inesse voluerint . . . . . 347—360

Adcuratius considerantur argumenta librorum meteorologicorum

a) *Arrhiani* . . . . . 347—349

b) *Theophrasti* . . . . . 350—353

c) *Posidonii* . . . . . 354—360

CAP. II. DE REPARANDA POSIDONII DE REBUS CAELESTIBUS DOCTRINA . . . . . 361—399

Posidonii de rebus caelestibus doctrinam refingendam e scripturis *Plinii*, *Achillis*, *Gemini*, *Cleomedis*. Ut eruatur a quonam istorum scriptorum proficiscendum sit, deinceps intentius examinantur

A. *Plinius* . . . . . 361—363

B. *Achilles* . . . . . 363—364

C. *Geminus* . . . . . 364—392

D. *Cleomedes* . . . . . 392—398

si quid quem ad modum *Posidonium* usurparint enucleari possit.

PERORATIO . . . . . 398—399

qua demonstratur a *Cleomede* proficiscendum esse *Posidonii* de rebus caelestibus doctrinae rudera indagaturis.

INDEX . . . . . 400—401

VITA.

Natus sum Henricus Edgarus Martini a. d. VII Kal. Jun. anni 1871 Mittel-Sohlandae in vico Lusatiae patre Carolo Edgaro, matre Elisabeth e gente de Schroeders, quos adhuc mihi superstites esse vehementer gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis primum privatim, tum Dresdae in schola Mochmanniana imbutus Gymnasium Budissinum adii. Ubi ut studia philologiae adamarem, egregia disciplina effectum est Ricardi Schulze, cuius memoriam semper pio animo colam. Vere anni 1892 Bonnam commigravi philologiae operam daturus. Ibi duo semenstria moratus aequa Minerva Lipsiam me contuli. Docuere me viri praenobiles Bethe, Buecheler, Elter, Loeschcke, Nissen, Usener Bonnenses; Gardthausen, Heinze, Immisch, Lipsius, Ribbeck, Wachsmuth Lipsienses. Bonnae per bis sex menses sodalis fui proseminarii philologici moderantibus Eltero et Usenero. Per idem ibi temporis spatium interfui Loeschckii exercitationibus archaeologicis. Benigne Bethe exercitationibus mythographicis me admisit. Lipsiae singulari Lipsii, Ribbeckii, Wachsmuthii humanitate statim in seminarium philologicum receptus sum, cuius per duo semenstria sodalis ordinarius, per unum senior fui. Historici seminarii sodalibus per bis sex menses benignitate Wachsmuthii adscriptus eram. Denique singulari erga me benevolentia Ribbeckius permisit, ut per sex semenstria exercitationibus societatis eius interessem.

Quibus viris omnibus iustas ac debitas gratias ago, in primis vero **Ottoni Ribbeckio** et **Curtio Wachsmuthio**, viris

doctissimis humanissimisque, pium gratumque semper servabo animum. Qui eximia liberalitate et benigna clementia studia mea regebant, peccata comiter ignoscebant, ingenuum litterarum amorem incitabant seduloque colebant. Denique piaculum committerem, nisi hoc loco etiam Loeschckio singulares grates dicerem, cuius officiosus erga omnes animus magis admirandus sit an doctrinae copia iure quis haesitarit.

88P84
Martini
Quaestiones Posidonianae.

PM

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
101067935 9